



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio I. De Generatione, Corruptione, Augmentatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



TRACTATUS

DE

Generatione & Corruptione.

Generationem partiri possumus, in generationem Substantialem, & Accidentalem. In generatione substantiali, consideranda est diversitas ejus a conversione; Et quia Generationem Argumentatio, postea & nutritio sequitur: hinc de iisdem agendum erit. Cum autem augmentationis sit aliqua species, Rarum & Densum, ideo de iis hucusque tractationem remisimus. Porro considerando generationem accidentalem, agendum erit de Alteratione, Intensione, &c. &c. Quia verò ex his non pauca supponunt Actionem & Reactionem, etiam hæc pensanda erit. Denique tractabitur de Mixtione. Eique opposita corruptione.

DISPUTATIO I.

De Generatione, Conversione, Augmentatione.

Inquirendum erit imprimis, de natura generationis, postea de divisione, distinctioneque à reliquis.

QUÆSTIO I.

De Generatione secundum se, & ejus Divisione.

Propter difficultates, quas patitur definitio ab Aristotele tradita, quas infra expendimus commentum sunt Recentiores, novas generationis definitiones.

DIFFICULTAS I.

Explicatur Generatio.

ExPLICAT I. Arriaga quid sit Generatio? Nempe quoddam sit productio Entis ex subiecto. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia hæc definitio, convenit etiam Generationi Accidentali. Jam autem hic, inquitur potius definitio Generationis substantialis. Tum quia potest esse ve-

ra Generatio substantialis, sine productione, Entis ex subiecto; nam anima rationalis non producitur ex subiecto, & in multorum sententia unio illius est spiritualis, & tamen homo verè generatur. *Neque valet si dicas*, quod unio sit Materialis. Saltem enim non implicat illam esse spiritualement, quo tamen casu, homo esset verè genitus. *Neque valet si dicas*, eo casu, fore productionem entis ex subiecto, ratione compositi; non inquam valet. Quia compositum in re, non est aliud, nisi ipsæ partes unitæ; vi partes ipsæ ex subiecto non sunt productæ, neque etiam compositum dicitur ex Subiecto productum. Et licet compositum, sit subiectum denominationis, subiectum tamen denominationis, quod tale, non potest salvare productionem entis ex subiecto, quia hæc productio, importat actionem Physicam, quam, solum subiectum denominationis, quod tale, salvare non potest. *Neq. valet ulterius si dicas*, ratione alterationum; antecedentium omnem generationem, salvari, quomodo posita etiam unione spirituali, fiat productio entis ex subiecto. Quia nomine entis accipit, hic Arriaga, illud quod generatur. Jam autem illud quod generatur in generatione substantiali, non sunt accidentia hominis sed homo.

† (A) 3

Tum

Tum quia si Deus miraculose primò produxisset animam equi, quàm materiam, faceretque eundem uniri, unione immediatè adhuc à se producta, vel emanata ex forma equi, non esset tunc productio ex subiecto; hoc est materia, & tamen tunc esset generatio. Nemo enim diceret, esse illud creatum totum. Sicut nec homo dicitur nunc creatus.

EXPLICAT II. Oviedo: quod Generatio sit productio substantiæ, dependens à subiecto tantquam à Causa materiali. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia directè non aliud explicat, quàm educationem formæ substantialis Materialis, cum tamen non sit idem formaliter, Generatio substantialis, & Eductio formæ substantialis. Tum quia potest fieri vera generatio, sine productione substantiæ, quæ sit dependens à subiecto, tantquam à causa Materiali, casu quo vel forma Materialis creetur, sensu aliàs explicato, vel intercedat tam unio, quàm forma substantialis spiritalis creata creata, vel casu, quo forma substantialis creata, nata sit seipsa uniri Materiæ. Tum quia conservatio est vera productio. Dividitur enim productio, in primam productionem, & Continuatam productionem: ita tamen, ut utraque, sit vera productio. Ergo si sit conservatio substantiæ dependens à subiecto, tantquam à Causa Materiali, erit vera productio, & tamen non erit generatio. Ergo generatio non est productio, qualem requirit Oviedo.

EXPLICAT III. Communior Sententia & describit generationem ex Aristotele 8. Physicorum c. 2. tex. 62. & de generatione cap. 4. textu 23. & ex istis locis conficit hanc descriptionem. *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subiecto eodem.* Similia habet G. Physicorum cap. 1. tex. 7. *Ex subiecto sive termino non existente in existentem, secundum contradictionem facta mutatio:* Per Ly secundum contradictionem, id vult significare; quod in generatione substantiali, à non esse, ad esse transeat, adeoque à contradictorio, ad contradictorium, ut cum à non esse ignis, ad esse ignis transitur ignità stupā. Jam verò in generatione accidentali; ab esse tali, transitur ad aliud esse tale. v. gr. à calido, ad frigidum. Ut autem defendatur explicatio, nomine totius sensibilis venire debet sensibile primarium, & principale & cui primò, tantquam subiecto, tribuantur accidentia sensibilia, & hoc, est Compositum, quod idem non manet, posita nova generatione, licet maneat quædam vetera accidentia. Casu autem quo produceretur ab æterno equus, eo casu, dicit recentior Suarez, non fore veram generationem equi, sed tantam educationem. Sed de hoc redibit infra sermo. Rursus ut defendatur explicatio, debet accipi hic definitum, quod est generatio ordinaria, à

Creatis agentibus profecta; nam communem generationem etiam Divinam, non agnovit Philosophus. Et sicut potest stare per Oviedo, definitio generationis in hoc, quod sit productio substantiæ, dependens à subiecto, tantquam Causa Materiali: Ita & in præsentia stare poterit, prædicta definitio Aristotelica. Ut tamen melius generatio explicetur. *Hinc sit*

Punctum Difficultatis I.

Defenditur Communis definitio Generationis, describiturque generatio ut sic.

Perpensis his, quæ hic adferentur, facilius erit reperire, quomodo non sit definienda Generatio, quàm adferre quomodo sit definienda.

ASSERO I. *Ordinariam, à Causis secundis profectam, experientia cognitam generationem, bene circumscriptam esse ex mente Aristotelis.*

RATIO. Quia hæc, quæ possent contra eam adferri, de Toto, cuius Forma Materialis esset ab æterno creata. Item, quæ procedunt de generatione verbi, non procedunt de generationibus ordinariis, per experientiam cognitis.

ASSERO II. *Descriptionem prædictam salvare distinctionem Generationis ab omnibus, quæ non sunt ipsa, adeoque convenire soli ordinariæ generationi.*

RATIO. Quia, distingueretur sufficienter à Creatione. Nam mutatio totius, seu subiecti, supponit totum seu subiectum. Creatio autem fit ex non supposito subiecto, & non est ex toto in totum, sed ex nihilo in totum. Discriminabitur item generatio, ab educatione; quamvis hæc à plerisque confundi soleant, & quod non debeant confundi, Ratio est, quia generatio, datur in Divinis, & non datur educationi. Ergo aliud debet esse generatio, aliud educatio. Per hoc ergo distingueretur generatio, ab educatione; quia educatio tandem ultimo ordinatur, ad faciendum compositum ex forma, quæ non habet jus existendi extra subiectum; cum tamen generatio ex se; ad compositum non ordinetur, aliàs etiam Divina Generatio, inferret compositum in verbo. Rursus per hoc Generatio ab educatione condistinguetur, quia educatio propriè, non est mutatio totius in totum, sed potius mutatio in aliquid quod in toto; educatio enim est forma, quæ est aliquid totius.

ASSERO III. *Prædictam definitionem non communem ad quasque generationes, sed generationem ut sic, commodius describere possumus quod Generatio, sit productio totius similis; sive*

sit simile per decisionem ejusdem substantiæ, ut cum generatur vermis ex putri, sive per similitudinem in natura, ut cum homo generatur hominem, sive per identitatem in natura, ut cum Pater Æternus generat verbum, Generatio autem quæ Sol generat hominem, est generatio quæ sumitur pro concursu, adeoque abusive generatio, si autem sit productio viventis ei vivente &c. erit Nativitas. Prima pars asserti probatur. Quia si prædicta definitio Generationis esset universalis, conveniret etiam Nativitati; tanquam speciei, prædicareturque de eisdem, de quibus & Nativitas; quod non potest dici; quia aliàs de Generatione Divina, de qua prædicatur Nativitas, prædicari etiam deberet Ly mutatio. Secunda pars probatur explicatione terminorum. Ly productio adhibetur loco generis; est enim quid commune, & ad Generationes, & ad educationes; Ly totius ponitur loco differentie distinctivæ ejusdem. Unde, per hoc Generatio, ab educatione distinguitur, quia educatio stare potest sine hoc, quia à priori præintel ligatur poni Unio, adeoque & totum, & tamen essentialiter ordinatur Generatio, ad ponendum totum, unde & textus Aristotelis meminit mutationis totius in totum. Ponitur autem potius Ly totum, quam Ly compositum, quia in Divinis est vera Generatio, neque tamen vi illius ponitur compositum, sed totum: Certe enim in Divinis licet sit falsum dicere, sunt tria tota; quia Ly tria neutraliter positum, supponit pro naturis; Verum tamen est dicere, sunt tres habentes rationem totius: sunt enim tres personæ, in Materia enim de subsistentia dictum; personam importare rationem totius; ponitur autem indefinitè Ly totius, ut sumatur vel pro toto Substantiali, vel pro toto Accidentali, vel pro toto; quod est persona.

DICES. Formæ dicuntur generari, & tamen explicatio adlata Generationis, videtur id negare.

RESPONDETUR. Formas, in quantum simpliciter ponuntur extra causas, non generari propriè, sed educi; educio autem non est propriè Generatio; generantur tamen propriè, in quantum generatione genitum, non est creatum, quod illi commune est, cum educatione.

INSTABIS. Vi hujus explicationis sequitur: Creationem Angelorum esse generationem, quia illorum Creatio, est productio totius similis.

RESPONDETUR. Productionem Angelorum ponere quidem totum, cum Angelis non sit pars sitque persona; sed non ponitur Angelus proportionali productione cum tamen productio sine addito, pro proportionali supponat productione. Porro productio proportionalis in hoc stat, nimirum ut sit processio à vivente, si sit vivens modoque debito, hoc est Nativitate; cum autem Angeli sint substantiæ viventes ne-

que producantur Nativitate à Deo, sit ut illorum productio non sit generatio. Deinde in explicatione positi fontes similitudinis: nempe decisio substantiæ, similitudo vel identitas in Natura nihil horum Angelo competit, sed sola imitatio divinæ Naturæ.

Punctum Difficultatis 2.

Quis sit salvandi modus de ratione Generationis esse mutationem.

PRIMUS Modus est. Quod hæc actio, quæ est generatio, secundum suam intrinsecam entitatem, connotet privationem forme præcedentis; ita ut si hæc privatio non præcedat, non sit futura hæc eadem numero actio; sed alia loco illius, quæ non esset generatio, sed educio.

DICES I. Cum Oviedo, Est contrariationem bonæ Philosophiæ dicere; quod Physica entitas actionis, intrinsecè sit connexa cum privatione termini, præexistente. Privatio enim est ens negativum, quod est, non esse ens; & propriè non est. Ergo non potest ab illa pendere entitas positiva & Physica actionis, quæ enim esset connexio inter esse & non esse.

RESPONDERI posset. Quod esse Physicum actionis, possit connecti cum non esse, tanquam cum connotato, licet non possit connecti cum non esse, tanquam cum ratione constitutiva sui. Aliàs ex proprietate Negationis, quæ est malignantis naturæ, traheretur actio tota ad non esse; quod autem alicujus positivi, possit esse connotatum necessarium aliquid negativum, ratio est. Tum quia nullum in hoc absurdum. Tum quia etiam creatio pro connotato respicit nihil subiecti. Tum quia quando prædicatur Petrus hodie vivens, duravit; est connotatum dies hæsterna, quæ non est. Productio item est entitas Physica, & tamen prout condistincta à conservatione, importat negationem petitionis esse, in ante.

DICES II. Cum eodem. Entitas Physica actionis, eadem est in primo instanti, in quo dicitur esse productio, & in instanti, in quo dicitur conversatio, sed in instanti, in quo dicitur Conversatio existit, quin immediatè ante, præcesserit privatio termini. Ergo in instanti in quo dicitur esse prima productio, posset illa existere, etiam si immediatè ante non præcesserit privatio termini.

RESPONDETUR. Eandem quidem esse productionem & Conservationem, quoad entitatem, sed non quoad formalitatem; hinc quamvis quoad formalitatem exigat conservatio, ne sit in ante, negatio esse, poterit productio prima exigere negationem esse. Deinde posset dicere quispiam productionem non ex vi

productionis, sed ex vi generationis, deposcere negationem esse antecedentem.

DICES III. Cum eodem. Hæc actio Physica, quæ est Generatio, nullam oppositionem habet cum termino ut existente, neque ut præexistente. Ergo nullam connexionem habet cum ejus negatione. Antecedens probatur; quia nullum caput hujus oppositionis assignari potest.

RESPONDETUR. Quod requirat generatio mutationem, quæ connotet privationem formæ præcedentis, haberi ex auctoritate Aristotelis, quæ ipsa sufficiens est fundamentum, præcipue cum nulla adferatur convincens ratio, quæ ab ejus auctoritate divellat.

DICES IV. Cum eodem. Etiam si inter privativum & positivum admittatur connexio, hæc vanè fingitur, respectu termini non existentis, sed qui jam præterierit, quia id quod præterit in ordine ad id quod modo est, perinde se habet, ac si nunquam fuisset.

RESPONDETUR. Diem hesternam non habere se, atque si nunquam præterisset, in ordine ad dandum hodierni dici v.g. formalitatem succedentis, licet in ratione non entis, ita se habeat, atque id, quod nunquam fuit.

DICES V. Posset Deus de novo producere materiam, idque spoliata omni forma; posset item applicare eodem instanti agens ad generandum, quo casu, non præcederet ulla privatio formæ præexistentis. Ergo non est de ratione generationis privatio formæ præcedens.

RESPONDETUR. Hanc imaginationem, & alias similes convincere interitum. Consequenter redeundum esse ad dicta superius; quod scilicet prædicta mutatio conveniat non nisi generationibus ordinariis, & in quarum cognitionem, experientia duxit.

SECUNDUS MODUS. (Cujus etiam sicut & prioris meminit Oviedo) defendendi, quod de ratione generationis sit mutatio, est talis; *quod scilicet si privatio formæ non præcesserit, erit quidem eadem numero actio, sed non habebit denominationem generationis.*

DICES cum Oviedo. Per hanc doctrinam ratio formalis, constituens ultimo generationem, sita erit, in ratione quadam extrinseca, actioni superaddita, quæ ab illa potuit deficere; consequenter nulla dabitur actio, quæ sit intrinsece generatio, cum omni actioni, ratio mutationis, quam essentialiter dicit generatio, accidentaliter contingat; quod si hæc tantum ad modum loquendi pertinent, tamen absurdè dicitur, quia totius scholæ consensus, actiones generativas agnoscit, qui per aliquid intrinsecum, in ratione actionum generativarum constituuntur.

RESPONDETUR. Quamvis stante fundamento, possit deficere terminus, quia tamen stante relatione non potest deficere, & illo non

deficiente, non potest non esse relatio in fundamento, ita quamvis potuerit esse mutatio, & non præcessisset privatio, si tamen præcessit, non poterit tunc non esse generatio, & si est generatio, non potest non esse mutatio, quam præcessit privatio, adeoque sicut relatio, ita & generatio, habebit sua intrinseca constitutiva.

Cæterum hujus ipsius modi, posset aliquis requirere rationem, cur scilicet, non potuerit esse generatio instantanea formæ, & sine præcedentia privationis?

TERTIUS MODUS salvandi, quomodo mutatio ingrediatur rationem generationis, ex iis quæ docet Pontius hic num. 3. *accipiendo mutationem non pro mutatione actuali, sed pro mutatione aptitudinali, seu radicali*, quia scilicet generatio est mutatio, quæ ex natura sua intrinseca, potest converti totum in totum; nam quamvis sit separabile à generatione, quod actu convertat, posset tamen convertere, si in materia poneretur alia forma, incompatibilis cum forma, per ipsam acquisita. *Hic modus*

NON SATISFACIT. Quia generatio posset contingere etiam si daretur Materia determinata non nisi ad unam formam, & forma determinata non nisi ad unam materiam; quo tamen casu, generatio illa non esset aptitudine & radicaliter mutatio, quia non est aptum totum, etiam divinitus converti in aliud totum, positione formæ impossibilis, cum nunquam illa. Materia & forma separari possent.

QUARTUS MODUS. Quomodo mutatio à generatione requiratur salvandi, est, *quia scilicet si ponatur aliquid genitum ab æterno, quia poterat non esse genitum ab æterno, habebit mutationem, non quidem actualem, sed aptitudinalem; & ita etiam sub initium mundi, res sunt genitæ, quia cum hac Materia, poterat uniri alia forma.* *Hic etiam modus*

NON SATISFACIT. Quia eadem ratione, omnis actio, & non sola generativa erit mutatio; imò & actio merè Creativa erit mutatio, quia etiam poterat non esse illa creatio. Neque est hic modus universalis; quia sub initium mundi, potuisset esse vera generatio compositi, habentis materiam & formam, ab utrinque determinatarum essentialiter, & tamen non esset tunc mutatio aptitudinalis, propter unionem aptitudinalem cum alia materia & forma.

QUINTUS MODUS expeditior est jam præstat. *Quod scilicet requisierit Aristoteles, mutationem ad generationes ordinarias, à causis secundis procedentes, & in quarum cognitionem experientia adducit.* In omnibus autem generationibus ordinariis intercedit mutatio. Quando autem urget Arriaga; quod scilicet ex essentia, in primo instanti productionis, pullulent passionēs, quo casu verè datur generatio illarum, & tamen essentia non mutantur, quia in eodem instanti, in quo existunt, habent illas passionēs, hoc in quam

quam non vincit, quia videtur, quod productio passionum, non sit generatio vulgariter, neque enim dicitur, quod Materia generet quantitatem, sed potius emanat, & aqua calefacta reducens se ad statum pristinum, non dicitur generare frigus, sed emanare.

Punctum Difficultatis 3.

Dispositiones quomodo concurrunt ad Generationem.

Proest procedere quaestio, vel de productione, vel etiam conservatione formarum. Quod attinet ad productionem:

ASSERO I. *Respectu formae Materialis, concurrere dispositiones & dispositivae & effectivae.* Dispositivae quidem; quia materia de se indifferens, ad hanc, vel illam formam recipiendam, & impotens naturaliter illam recipere, nisi compleatur per dispositiones, sit ut complementum illud Materiae teneat se ex parte Materiae, eamque disponat. Ergo illae formae ita disponentes, censendae erunt dispositivae concurrere. Quod autem etiam concurrant effectivae; Ratio est, quia substantiae agunt, non nisi mediis accidentibus.

ASSERO II. *Etiam respectu formae Spiritualis substantialis, concurrere accidentia dispositivae.* Quia Materia sine illis dispositionibus; naturaliter non est apta ad recipiendam formam spirituales; imò etiam concurrunt quodammodo moraliter; quia non nisi his positis, movetur quodammodo Deus, ad producendam formam spirituales, ita, ut si produceret illam, non ad exigentiam dispositionum, censeretur miraculose agere.

ASSERO III. *Respectu formae Spiritualis, dispositiones non concurrere effectivae;* quia anima spiritualis non nisi creatur.

An autem in suo conservari in corpore, pendeat anima à dispositionibus difficultatem instituit Oviedo hic Controvers. 1. punct. 4. ubi censet, quod illae dispositiones, quae mortaliter causant productionem formae spiritualis, non possint postea dependere à forma. Quod certum est, de dependentia per se, jam enim supponuntur existere ante formam; adeoque habere omnes causas ad sui existentiam requisitas. Cum ergo eo casu non influat forma in illarum esse, non est ratio cur postea influat. Ex accidenti tamen, possunt conservari à forma, quia scilicet forma posita, procurat augmentum, intensionem qualitatum similium illis, quae ad se disponebant. Illud autem augmentum adfert, vim magis resistivam contrariis dispositionibus.

An autem in suo conservari, dependeat forma à dispositionibus, difficilius est decidere.

Nam imprimis hoc difficultatem habet, cum forma conserveat dispositiones, quomodo illae vicissim conservabunt formam? sed satisfieri posset difficultati, quod dispositiones conserventur à forma non nisi per accidentia; hinc adhuc illae, poterunt per se concurrere, ad conservationem formae; sine hoc, quod se mutuo recausent. Est & alia difficultas ex Oviedo. Dispositiones non sunt priores formae in genere causae efficientis, non etiam in genere causae Materialis, aptando Materiam, sicut aptat quantitas. Ergo tantum influunt moraliter, determinando principium productivum illius, ad productionem ejusdem, semel autem jam producta formae influxus ille moralis, non est necessarius ad conservationem. Quod ipsum probat, quia forma semel producta per suam entitatem petit conservari à Deo. Ergo movebitur Deus potius exigentia ipsius formae ad illam conservandam, quam exigentia dispositionum. Sed & huic difficultati satisfieri potest. Nam falso supponit, respectu formarum materialium, non habere se dispositiones effectivae; cum mediis non nisi accidentibus, formae substantiales Materiales producantur. Immerito etiam supponit, solam quantitatem esse causam dispositivam: Videndo enim materiam, talibus dispositionibus effectivam, esse capacem recipiendi talem formam, non positis autem, non esse capacem, bene inferimus, disponi materiam per illas dispositiones. Quia si bene inferimus ex eo, quia positis his causis, sequitur hic effectus, has causas concurrere effectivae. Ergo etiam ex eo, quia positis his dispositionibus, materia est apta ad recipiendum, non positis, non est apta; bene inferemus disponi materiam per has dispositiones. Et quamvis respectu productionis animae rationalis non nisi moraliter concurrant dispositiones, respectu tamen unionis ipsius concurrunt dispositivae Physice omnino. Quia etiam animam rationalem, non est proximè apta recipere materia sine dispositionibus certis. Quod autem addit; formam semel productam, per suam entitatem petere à Deo ut conserveatur, si res sit de anima rationali, vera est doctrina; cum illa petat esse immortalis, secundum suam entitatem. Caterum si res sit de hoc, cur petat anima conservari unita corporis; id rejici debet potius in conditionem dispositionum. Si enim solum sua entitate petit conservari, non esset ratio, cur non peteret pro semper conservari, in corpore; & si dispositiones ad illius uniti concurrunt materialiter, cur non etiam concurrent ad petitionem, ut conserveatur in corpore. Quod etiam attinet ad formas Materiales, non videtur, quod petitio conservationis earundem, referri debeat in entitatem formarum Materialium ipsam; non videtur enim, quod aliqua entitas substantialis, saltem ex istis quae defacto dantur, determinata sit, ut non nisi

nisi ad certum tempus, sibi velit bene, adeoque se velit conservari ad certum tempus. Potius ergo id referendum est, in dispositiones. Ut autem distinctim de hac conservatione loquamur. *Hinc*

ASSERO I. *Dispositiones non concurrere ad conservationem simpliciter animæ rationalis.*

RATIO est. Tum quia de se est immortalis, adeoque de se habens exigentiam, ad conservari in semper. Tum quia nullis positis dispositionibus, ut pote materialibus, illisque corruptis, defacto durat anima in statu separationis. Tum quia quando anima æternat, vel miraculose conservatur, vel non. Si miraculose? Ergo datur in natura principium destructivum animæ. Si non miraculose, Ergo ad exigentiam Naturalem. Sed hæc non est exigentia dispositionum, nam non possunt melius velle dispositiones, alteri à se distincto, v. g. animæ, quam sibi velint. Ergo si nolunt sibi conservationem æternam, nec illam exigent animæ. Et cum hæc exigentia, non possit in aliquid aliud referri, debet referri in animam rationalem ipsam.

ASSERO II. *Conservationem animæ rationalis restrictè acceptam, hoc est per ordinem ad conservationem ejus in corpore, pendere à dispositionibus tam in genere causæ moralis, quam in genere causæ dispositivæ Physicæ.*

IN GENERE quidem causæ moralis; quia exigunt à Deo, non nisi eousque unitam illam corpori conservare, quousque illæ durant. Quod autem concurrant in genere causæ dispositivæ Physicæ.

RATIO est. Tum quia, ut dictum supra, ita concurrunt, etiam in primo instanti productionis animæ. Tum quia videmus talibus dispositionibus positis, servari animam rationalem in corpore, & non servari illis corruptis. Unde medici prædicere possunt mortem. Malitia humana invenit modus, itemque justitia vindictiva, separandi animam à corpore, reddereque materiam inhabilem, ad informari hic & nunc ab illa. Ergo apparet, dispositiones ad conservationem animæ in corpore, concurrere Physicè dispositivæ, & sicut, secundum dicta immediate, censemus aliquid concurrere Physicè effectivè, quando eo posito, videmus poni effectum, & non posito illo, vel aliquo locum illius supplente, videmus non poni effectum; cæteraque adsint paria, colligimus inde influxum in genere causæ efficientis. Ergo cum videmus illis dispositionibus positis, disponi materiam, non positus illis, aut aliquo illarum locum supplente, non disponi, bene inferemus, dispositivè concurrere, illas dispositiones ad conservandam animam in corpore.

ASSERO III. *Conservationem animæ rationalis in corpore, compleri duabus exigentiis. In primis exigentiâ, quam habent dispositiones ad con-*

servandam animam in corpore, ut dictum immediate. Deinde exigentiâ, quâ exigit ipsa forma, positis his dispositionibus servari in corpore unita.

RATIO. Quia nulla est ratio negandi hanc exigentiam animæ. Et sicut non sola anima exigit, dispositiones, sed & dispositiones animam, ita & in conservati, eodem modo se habebunt.

Quæ autem in hoc asserto dicta sunt, consequenter dici debent de anima Materiali. Cujus in hoc major est connexio cum dispositionibus, quia destructis illis, non habet jam jus existendi.

DIFFICULTAS II.

De Generatione Substantiali viventium.

TRIPLEX Generatio viventium ordinariè assignatur. Primò. Lato modo prout importat Generationem viventis, & sic dicantur nasci etiam vermes ex putri, folia ex ramo. Secundo modo in quantum vivens generat vivens simile, & hoc modo sumpta generatio hic explicabitur. Tercio modo, pro generatione, quæ fit per cognitionem, de qua, par. D. 9. n. 219. Generationi viventium, appropriatum nomen est, Nativitas; quam vel activè, vel passivè accipere possumus. Nativitas activè sumpta, supponit pro productione faciente nasci, seu pro exercitio generandi. Jam autem Nativitas passivè spectata, tenet se ex parte geniti, & est generatio passiva, seu id quod, respondet exercitio generandi.

DIcENDUM est. *Generationem pro Nativitate sumptam, bene definiri. Quod sit Origo viventis à vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Sunt verba S. Thomæ 1. p. quæst. 27. art. 2. Coincidunt verba Damasceni. lib. 15. cap. 5. ex cuius verbis conficitur hæc descriptio. *Quod sit productio Rei alicujus ex alicujus Substantia in similitudinem naturæ.* Hoc idem innuit Aristoteles, 2. de Anima. cap. 4. Hoc in viventium (inquit) operibus, maxime est naturale; nam quidem quæ perfecta sunt, & non mutila, vel quæ non sponte nascuntur, alterum tale facere, quale ipsum, velut animal, plantam idem plantam. Qui quidem locutus probat, generationem debere esse in similitudinem naturæ; quod verò debeat esse à principio conjuncto, indicat Aristoteles &c. Eth. cap. 12.

EXPLICATUR definitio. Ly Origo accipitur pro Genere. Nam est commune quiddam etiam generationi non viventium. Additur *viventis* ut excludatur Generatio, quæ ignis unus, generat ignem alium. Ly à vivente indicat imprimis, quod debeat vitaliter se movere generans: particula enim *A*, est nota principii productivi. Indicat rursum, quod non sufficiat

ad

ad generationem viventis à vivente, suppeditare solam Materiam, si enim sufficeret sola suppeditatio Materiae, non deberet dici, quod sit processio viventis à principio vivente, sed potius quod sit processio ex principio vivente. Indicat item, quod generatio vermium in cadavere, non sit Nativitas, quia terra non est principium vivens. Sed eo casu, fit sola suppeditatio Materiae. Productio item Evæ, quæ facta est ex costa Adami, non fuit generatio, eo quod nonnisi Materiam & quidem mortuo modo suppeditant. Ly à principio Coniuncto non indicat solam indistantiam generantis & geniti, quia fieri potest, ut sint distantes quoad substantiam, & solo semine conjungantur; indistantiaque non est characteristica Nativitatis, cum competat etiam aliis actionibus; sed Ly à principio coniuncto significat genitum participare debere ex substantia generantis, vel per identitatem ut fit in Divinis, vel saltem per decisionem partis substantiæ generantis. Et per hanc particulam sicut & per aliam sequentem, quæ est major declaratio prioris, salvatur, quod incubus, vel succubus, non sit Pater aut Mater geniti; neque enim est aut similis illi, aut participans ex substantia ejusdem, sed potius ex substantia ejus, cujus illud est semen. Gallinæ item nonnisi incubantes & excludentes pullos, non sunt Matres, quia nullam partem substantiæ communicant. Angeli non generantur à Deo, quia non producuntur in similitudinem naturæ. Nec putre, est Pater & Mater, vermis.

OBJICIES Lex Oviedo. Ex vi hujus explanationis sequitur, arborem non generare aliam arborem, quia semen unius arboris, non deciditur, vitali modo, sed mortuo. Consequenter, vel debet dici unam arborem non generari ab alia arbore, vel non est necessarium, ut fiat à vivente quâ tali, seu non mortuo modo.

RESPONDET Oviedo ad hanc difficultatem, quod sufficiat semen elaborari vitaliter: *Hæc responsio*

NON SATISFACIT, quia etiam casu, quo, ex adulto acciperet Deus costam, & elaboraret hominem, ita ut produxit Evam, quamvis multæ illic sint partes vitaliter per nutritionem elaboratæ, sola elaboratio vitalis, non fundaret, illic Nativitatem, nec homo productus ex illa costa, dicendus esset Filius ejus, cujus costa est. *Hinc*

RESPONDETUR. Refertur id debere in hoc quod quamvis arbor mortuo modo decidat semen, quia tamen illud semen est virtus & instrumentum agendi, ipsius viventis, fit ut adhuc arbor dicatur, generare aliam arborem.

OBJICIES II. Mulus vere generatur & tamen non est similis in natura. Ergo Nativitas non requirit similitudinem in natura. Tota

difficultas est in reddenda ratione cur Muli generatio, sit vera Nativitas.

RESPONDET I. Aliqui Muli generationem esse veram Nativitatem, quia scilicet similitudo in natura, quamvis genito competat in generationibus ordinariis, non tamen competit in generationibus innaturalibus & inordinatis. Est responsio Conimbri censum. *Sed.*

NON SATISFACIT. Tum quia sequitur ex illa, inordinatam generationem non esse Nativitatem, siquidem illi non competit definitio generationis; idque quo ad principalem sui partem. Tum quia, si potest in inordinata generatione salvatio Nativitatis, sine similitudine in natura, poterit etiam salvari in Nativitate ordinata. Tum quia ex vi hujus responsionis sequitur, non esse bonam prædictam definitionem Nativitatis ut sic, sed debere assignari aliam, quæ sit communis ad generationem ordinatam, & inordinatam.

ABDO. Non explicari per rationem, in quo sita sit, ratio istius inordinatæ generationis, si enim in hoc sensu dicitur inordinata, quia non est similis principio producenti: hoc ipsum est manifeste petere principium, de hoc enim ipso quaeritur. Si autem dicatur esse inordinata, quia non intenditur à natura. Certe id ulteriores explanatione indiget. Naturalis enim generatio Muli non est ex Mulo, nec intenditur ut fiat per speciem Muli, cum instrumentis generationi debitis credantur destituti, quidquid sit de veritate aliquatum Historiarum, quæ referunt quod Muli generent.

RESPONDETUR II. Quod scilicet Mulus etiam sit similis in natura; non quidem simpliciter, sed similitudine tali, qualis, est capax Mulus. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia sequeretur etiam vermes ex homine genitos, esse veros Filios hominis, non eam participant similitudinem, quam participare possunt. Nec obest, quod ad productionem vermis, homo vitaliter non concurrat, quia etiam si supponeretur vitaliter concurrere, nec dum sequeretur vermem esse Filium hominis, quia illi non competeret Nativitatis definitio, similitudinem in natura ex gens. Tum quia sequeretur ex hac responsione, etiam Spiritum Sanctum esse Filium, nam habet similitudinem perfectissimam, hoc est, identitatem in natura, adeoque similitudinem, quam habere potest, quamvis non habeat similitudinem requisitam ad generationem.

RESPONDETUR I potest, ex Amico I. p. disp. 12. scit, 7. similem Mulum esse, non tantum in ratione generica, equo & asinæ, sed etiam in ratione specifica. Mulus enim, etsi non procedat in perfectam similitudinem naturæ specificæ cum equo & asina, cum non potest procedere in specie duplici, procedit tamen similis utrique per differentiam, quæ multum participat,

pat, de proprietatibus utriusque ut constat ex extrinseca figura. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia non determinat Ly aliquomodo simile, quando sufficiat ad fundandam rationem Nativitatis, & denominationis, & quando non sufficiat. Tum quia hæc ratio supponit aliquomodo. Mulum convenire in specie cum equo & asina; quod dici non potest. Nam similitudo in specie externa, est similitudo in specie omnino æquivoca, & quæ non est huius loci. Similitudinem autem in specie, quæ sit species Metaphysica, nullo modo habet, species enim Metaphysicæ acceptæ consistunt in indivisibili & participare ex specifico prædicato, quocunque modo, est participare totam speciem, cumque Mulus ab asino non differat, solo individuo, differet non nisi specie. Tum quia dicam simili modo: Spiritum Sanctum generari, eò quod participet similitudinem, quæ multum habet de ratione Filii, propter similitudinem in natura Divina, quamvis non participet similitudinem eandem adæquatè.

RESPONDENT 4. alii. In Generatione Mulii, per se intendi similitudinem in natura cum generante; sed ex accidenti, nempe quod in se semina agant, impediri similitudinem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia casu quo intendat homo generans generare hominem & nascatur monstrum, ita inorganisatum, ut non sit capax infusionis animæ rationalis. Generatio illius monstri passiva, non est Nativitas, de qua hic, nec dicitur talis habere Filium; & tamen ex accidenti continget monstrositas. Ergo & de Mulo deberet dici, quod non sit natus. Tum quia dato, quod aliquod genitum ex Petro, sive ex accidenti, sive per se, non sit animal rationale, nullo modo est homo. Ergo etiam sive per se, sive ex accidenti Mulus non sit similis asinæ, hoc ipso, non comperet ei Nativitas, quia non competit similitudo definitiva Nativitatis. Tum quia ex accidenti ille Mulus non est similis in natura. Ergo ex accidenti non est natus.

RESPONDETUR 5. De Generatione Mulii potest esse questio de re, & de voce. De re est questio, an sit similis in natura: de voce autem, an sit vocandus Filius, equi & asinæ. *Quoad difficultatem de re:*

CERTUM est quod sit similis in natura generica, est enim verè animal, sed hæc similitudo non sufficit ad denominationem Filii. Tum quia vermes geniti ex homine, sunt illi similes in genere proximo, non sunt tamen Filii hominis. Tum quia eodem jure, monstrum ita deorganisatum, ut non possit esse capax animæ rationalis infundendæ, vivens tamen, posset appellari Filius. Tum quia similitudo penes rationes formales spectatur, Genus autem quæ tale, habet rationem Materialis.

CERTUM est deinde quod Mulus, similitudinem naturæ specificæ non habeat, cum equo vel asina. Nam imprimis non habet similitudinem cum utroque specificam, aliàs in duplici specie infusa esset. Non etiam cum una, quia cum quæ illa? ita ut combinatio accidentium sit eadem, quæ aliàs urget eandem esse formam substantialem specie. Parum autem refert, quod sit magis similis species Muli, speciei equi & asini, quam aliis speciebus, quia hoc non infert similitudinem specificam. Quia magis simile est nonaginta duo, ad centum, quam tria ad centum: & tamen hoc non obstat, verè nonaginta duo, non est centum, similis item est vitrum coloris gemmei gemmis, quam iisdem carbo: & tamen, hoc non obstante, differunt specie gemma & vitrum.

CERTUM denique est, malè competere similitudinem cum suo principio, si nomine similitudinis veniat etiam similitudo oriunda ex decisione substantiæ seminali. Et hæc de re certa sunt, quod scilicet, in re definitio Nativitatis, Mulo non competat, quia non competit ei similitudo specifica, sed solum oriunda ex decisione substantiæ seminali, aut competit illi sola similitudo generica, quæ non est sufficiens ad salvandam generationem viventis, cum formalitate nascentis.

Quoad difficultatem autem de voce arinet. Potest Mulus appellari Filius, cum Aristotele, saltem æquivocè. Voces enim sunt ad placitum, præcipuè, quia in danda denominatione Filii, non attendit usus ad id quod in re est: nam tota definitio Nativitatis, convenit ramo, qui pullulat ex trunco, & tamen ramum, usus communis non appellat, Filium trunci. Quod si potest usus abrogare nomen Filii, ei, cui res tota convenit, poterit usus arrogare denominationem Filii, ei, cui res tota non competit Nativitatis. Adfert pro ratione Oviedo, cur arbor non dicatur Filius arboris alijs. Quia ordinariè non magis est similis arbori, à qua generatur, quam sit similis alteri, à qua non generatur, sed hæc ratio non convincit. Quia poterat usus applicare id nomen Filii, etiam iis, in quibus sensus, majorem similitudinem ad principium generans, non advertit, appellanturque Filii Æthyopum ex Candida nati, appellantur inquam Filii, quantumvis sint dissimiles Patri. Idemque est in alijs dissimilitudinibus. Debet ergo hæc denominatio Filii, merè referri in placitum.

DICES. Ergo nunc conceditur, quod supra ad Responsum secundam negabatur.

RESPONDETUR. Antea negabatur, quod vermes sint Filii hominis, quod illis nunc non conceditur, quia vermibus non tantum non competit tota ratio Nativitatis, quod est illis commune cum mulo, sed nec usus saltem æquivocè appellat illos Filios, nec Aristoteles ita illos appellavit, appellavit Mulum.

DEEL

DIFFICULTAS III.

Resolvuntur insuper quaedam quesita.

QUÆRES 1. *An Generatio sit distincta ab Al-
teratione.* Negant Thomistæ, affirmant
aliqui. Ratio affirmandi. Quia alteratio,
præcedit inductionem formæ. Ergo præcedit
generationem. Ergo alteratio, non est genera-
tio, quia idem non potest existere, & non exis-
tere, aut præcedere seipsum. Fuit hæc quæ-
stionem tractat Oviedo contr. 2. Punct. 2.

QUÆRES 2. Supposito quod unio sit Mo-
dalis, & quod in entitate sit Spiritualis, an illam
unionem emanet anima, an producat agens?

ASSERO 1. *Posito quod detur unio modalis Spi-
ritualis, non posse illam produci à Parentibus.*

RATIO. Quia sicut non sunt multiplicanda
entia sine necessitate, sic nec modi agendi. Nul-
la autem necessitas asserendi, posse à principio,
in operando dependenti à Materialibus, haberi
vim efficiendi merè spirituales.

ASSERO 2. *Productionem huius unionis, non
posse referri merè in Deum.*

RATIO. Quia etiam Spiritualium, si nihil
obstet, assignandæ sunt causæ secundæ.

ASSERO 3. *Hanc unionem produci ab ipsa ani-
ma unibili.*

RATIO. Quia potest ex se emanare suas spi-
rituales perfectiones. Ergo & unionem. Ex al-
tera parte, nullum aliud principium connatura-
le, producendæ unionis illius assignari potest.

DICES 1. ex Arriaga. *Quamvis unio illa sit
Spiritualis, cum Mater componatur ex anima
Spirituali & corpore, poterit producere unio-
nem Spiritualem.*

RESPONDETUR. Nullum esse fundamen-
tum, tribuendi vim animæ, agendi aliquid, actio-
ne transeuntis; & si ad illam generationem con-
currit anima Matris, mediis accidentibus Ma-
terialibus, fiet effectus Materialis qualis est vi-
sio, quam producit in oculo anima Spiritualis.

DICES 2. Unio Spiritualis nullo modo
potest produci ab anima unienda, quia anima,
non potest aliquid substantiale in corpus opera-
ri, nisi ut actus illius, ut pote actus, non assistens,
sed informans, quomodo ergo potest producere
aliquid substantiale, nisi intelligatur unita.

RESPONDETUR. Anima nihil operari
potest in corpus, nisi tanquam illius actus, vel in
fieri immediato, vel in facto esse. In facto esse,
est causa motuum vitalium, in fieri, est causa illi-
us unionis.

DICES 3. Si anima esset causa unionis; sequi-
tur resurrectionem mortuorum fieri naturaliter.

RESPONDETUR, quod non; quia nullum da-
tur principium, iteratò restaurativum earum-
dem dispositionum, & quæ exigant non novam,
sed veterem restitui formam.

QUÆRES 3. Quis sit terminus formalis in-
trinssecus Generationis. *Est questio de voce.*

ASSERO 1. *Terminus totalis Generationis,
est compositum.*

RATIO. Quia ex una parte, terminus debet
rem finire; composito autem habito, finitur ge-
neratio. Est etiam Terminus totalis generatio-
nis, quod terminat, & est totum in Generatione;
utrumque hoc habet compositum. Terminat
quidem; quia illo posito, cessat actio generandi:
habetque hoc compositum, ut sit totum, quia
nihil plus est in composito, quam illud ipsum.
Ergo compositum, habet rationem termini to-
talis.

ASSERO 2. *Ejusdem Generationis, sub diversis
nominibus acceptæ, diverso respectu, diversi sunt
termini formales inadæquati.*

RATIO est. Quia si sumatur generatio, prout
est inductio formæ, habet pro termino formam,
prout est Materialis, habet pro termino for-
mali Materiam; prout actio unitiva Materiæ &
formæ, habet pro termino formali Materiam &
formam, in circumstantia modalitatis à nobis
admissæ. Et quod dixi de Generatione, idem
applicari potest in aliis Materiis proportionali-
ter, ut advertit Lugo. Nam processiones Divi-
næ sub nomine productionis, habent pro termi-
no personam productam; sub nomine commu-
nicationis, naturam communicatam; sub no-
mine autem Processionis, habent terminum
adæquatum, h. e. essentiam tali personalitate,
terminatam.

ASSERO 3. Quod non semper terminus for-
malis sit forma.

RATIO. Quia actionis conversivæ, terminus
totalis, est Corpus Christi sub speciebus panis, &
formalis terminus est ipsum Corpus Christi, ne-
que tamen Corpus Christi est ipsa forma. Nec
item terminus formalis necessariò debet esse en-
titas, quæ de novo producatur. Ratio. Quia
in æterna Filii Dei Processione, accepta sub no-
mine communicationis, terminus formalis, est
ipsa essentia: & tamen hæc non producitur.
Denique non est necesse ut terminus formalis
actionis, semper sit condistinctus, à termino to-
tali & adæquato; quod admitti debet, etiam in
principiis modalium; in quantum dicunt, possi-
bilem esse aliquam materiam & formam seipsis
unibiles: quo casu, idem erit terminus formalis,
& totalis. Quid autem sit terminus intrinssecus,
dictum in materia de incarnatione; explicando
quomodo respectu unionis Hypostaticæ, habeat
se persona verbi, tanquam terminus intrinssecus.

ADDO. Generationem Divinam, perfectissi-
mè esse generationem, non tantum ex vi prædi-
cati Deitatis, in qua nihil non summum est: sed
etiam ex modo generationis. Imprimis quia in
nulla generatione, totum geniti pender à gene-
rante, vel via communicationis, vel via productio-
nis. Nam quamvis in generationibus materiali-
bus producat formam; non tamen tribuitur tota

† (B)

Materia

Materia genito, sed illam paulatim acquirit. In Generatione autem VERBI, & Essentia tribuitur via communicationis, & Persona Productione. Rursus, in nulla generatione, est tanta conjunctio cum producente, neque tanta similitudo, quia nulla est major connexio & similitudo, quam per identitatem; in Divinis autem, eadem est natura Generantis, & Geniti. Quamvis autem casu quo aliquid generet seipsum secundo, intercessura sit etiam identitas; quia tamen hæc non nisi obediens est, & non quoad primum esse, sit, ut adhuc excedat in similitudine, Divina Generatio. Imò rigorosè loquendo, & accipiendo generationem; prout involvit motum vitalem, non potest aliquid seipsum generare secundo, licet producat seipsum secundo, quia ad Generationem est requisita vitalitas; nihil autem habet ab intrinseco vim generandi seipsum.

Q U Æ S T I O II.

De Conversione.

DEFINITUR Conversio. *Quod sit transitus unius rei in aliam.* Quæ definitio, licet ipsum objectum rectè circumscribat, nihilominus quoad Phrasim non est exacta; quia cum conversio pro Genere proximo, dicat vel actionem, aut actionem, debuit alterum poni, sicut in aliis etiam definitionibus, usi venit. Ad quod reflectendo, dici potest, quod *conversio sit actio per quam aliquid, fit, aliud quid.* Accipio pro genere *ly actio* potius quam *Ly transitus*. Quia transitus magis se tenet ex parte transeuntis, quam ex parte ejus, quod facit transire, adeoque non se tenet ex parte agentis, vel actionis, sed potius ex parte passivi. Conversio autem, importat respectum ad agentem, vel summi debet conversio pro specie actionis; quamvis in re, coincidat cum passione, tenente se à parte passivi. Quod autem importet vi vocis conversio potius actionem, usus ipse docet vocis. Dico autem illa actione, fieri *aliud quid*, non verò aliud simpliciter, quia per conversionem, non transitur ad esse simpliciter, sed ad esse secundum quid, adeoque non in aliud, sed in aliud quid, quod est, aliud, cum addito.

DIVIDITUR Conversio in naturalem, & supernaturalem. In Physicam quæ est inter terminos Physicos: & in Moralem, quæ inter terminos Morales. In substantialem & accidentalem; quæ etiam distinguuntur ratione terminorum. Rursus dividitur in conversionem, Materialem, Formalem, Totalem. Conversio Materialis est, quando eadem forma permanente, mutatur subiectum: quod fit in Nutritione hominis, eadem enim anima, informat partes Materiae, de novo nutritione ad genitas, quæ informabat deperditas. Formalis verò est, quando eadem Materia manente, nova forma advenit ut cum ex frigido, fit calidum. Hæc tamen con-

versio Materialis, non est conversio rigorosa, quia terminus *Aquo*, vi illius, simpliciter non definit. Totalis autem conversio est, quando materia & forma, tota convertitur in aliam materiam & formam; & hoc dicitur propriissimè transubstantiatio, nec fieri potest naturaliter.

DISTINGUITUR Generatio à Conversione. Ratio. Quia Generatio quæ talis, non importat necessarium, ut sit à termino positivo, sed potest esse inter terminum negativum à quo, ad terminum positivum ad quem. Jam autem conversio non potest esse, nisi inter terminos positivos, & hoc indicat ille terminus, *aliquid*. Rursus conversio si sumatur respectu totius, involvit non solum terminos positivos à quo, & ad quem; sed etiam negativum, qui neget compositum, quod sequitur. Et ita, dum convertitur e.g. Lignum in ignem, præcessit negatio ignis, quomodo enim lignum, diceretur converti in ignem?

Quod attinet ad conditiones Conversionis.

CERTUM est. Quod conversio debeat versari inter duos terminos positivos.

RATIO. Quia id deposcunt ipsi termini definitionis, *Ly aliquid & ly aliud quid*. Rursus si conversio, posset habere terminum à quo negativum, saltem totalis conversio, nullo differet à creatione. Item si terminus. Ad quem in conversione, non esset quid positivum, nihil acquireretur illa conversione, adeoque nec foret conversio, quia nec mutatio in aliud quid. Denique si Terminus à Quo non esset quid positivum, tunc Terminus à Quo non desineret esse in conversione; hoc enim quod propriè, & sine addito desinit esse, debet aliquid esse, ut supra illud esse cadat negatio. Cum ergo in conversione desinat terminus à Quo, debet Terminus à Quo esse aliquid positivum.

CERTUM item est. Quod ad conversionem requiratur, ut maneat aliquid commune sub utroque Terminis.

RATIO. Quia, omnis conversio, explicabilis est per has particulas. Id quod erat, v.g. id quod erat lignum, nunc est ignis, quibus particulis, in omni converso debet respondere ali-quod objectum; quomodo enim verè affirmaretur *Ly id quod*, si in converso nihil maneret commune? Præcipuè verò quia non de aliquo antecedenter, sed de ipso formaliter converso, verum est dicere, id quod erat v.g. lignum, est nunc ignis. Deinde si nihil maneret commune, esset simplex desinitio Terminis à Quo, & simplex productio Terminis ad Quem, adeoque nec conversio. Porro illud commune, quod sub utroque termino remanet, debet esse proprium à Quo terminis, hoc ipso enim non esset commune, non enim spectaret ad Terminum à Quo, utpote, tractum non nisi, cum Terminis ad Quem; hinc fit, ut alteratis speciebus, & conversis in substantiam chili, non di-

dicatur in chilum converti Corpus Christi, quia illa species, non sunt propriae Corporis Christi.

CERTUM est, quod ad conversionem requiratur, ut desitio Termini à Quo, & inductio Termini ad Quem, habeant inter se connexionem; ut scilicet ex vi desitionis unius, sequatur positio alius.

RATIO. Missis aliorum probationibus, est, quia si non esset connexio, inter desitionem termini ad Quem, non poterit salvari ratio conversionis. Quod ipsum probatur, quia eo casu, quo desierit simpliciter terminus à Quo, non est conversio, aliàs etiam annihilatio diceretur conversio. Eo etiam casu; quo incipit terminus ad Quem, non est conversio; quia aliàs etiam creatio esset conversio, nam etiam vi creationis, incipit terminus ad Quem. Ergo debet esse ex connectione utriusque termini, quæ non potest esse alia, nisi ut sit connexio desitionis Termini à Quo, cum positione Termini ad Quem. Illustrari hoc potest instantiâ ex Logica petita; ubi videmus, quod cum præmissæ, se solis non sint conclusio: rursus cum ipsa tertia propositio, materialiter accepta, non formet conclusionem, ideo ibi diximus, debere conclusionem inferri, ex vi connexionis cum antecedentibus præmissis: sic & hic, debet poni positio termini ad Quem, ex vi connexionis, cum desitione termini à Quo.

CERTUM rursus est, quod ad conversionem moralem, sufficiat connexio moralis.

RATIO. Quia si sufficiunt termini morales, sufficit etiam connexio moralis, ut cum ex Canonico, fit Monachus.

Hoc magis dubitabile est, quid fieret, casu quo faciat Deus decretum, de non conservando duos Angelos simul, & ideo de producendo uno, si destruat alium; certè enim inter desitionem unius, & positionem alius, foret connexio moralis: Caterum tamen, illa connexio, non fundaret rationem conversionis: quia nihil remaneret commune utrique; quod tamen ad conversionem requisitum est, & unus non succederet in munus alius, intra aliquod compositum. Hinc desitio illius Angeli, vera esset annihilatio; quia esset desitio in nihil, involvereturque sola subtractio concursus conservativi alterius, quæ trahit secum simpliciter non esse Angeli alterius.

Restant alia circa conversionem difficiliora.

DIFFICULTAS I.

An terminus ad Quem conversionis simpliciter debeat produci?

Affirmat Suarez, Hurtadus & Arriaga hic S. 3. sub Sect. 1. Negat Vasquez, Lugo de Eucharistia, disputatione 7. Sect. 2. & 6. Amicus & alii.

PRÆMITTO 1. *Conversionem, simul inferentem replicationem, deponere, ut terminus ad Quem reproducatur. Quod probari debet ex istis, quæ dicta sunt: An aliquid in pluribus locis poni possit.*

RATIO. Insuper est quia per nos, ubi, quod in pluribus locis ponere deberet rem replicandâ, non datur distinctum. Hinc cum non possimus recurrere ad pluralitatem ubi, recurrere debemus

ad productionem ejusdem entitatis, quæ est æquivalens pluralitas, cumque me esse in hoc loco, semper, saltè inadæquatè importet me ipsum, quod fieri nequit, si ipsum me ipsum, nec ex prima positione, quæ tunc non fit, nec ex reproductione, ipsius me ipsum illic reperiatur. Denique non solum est meum ubi illic, sed etiam meum esse, mea entitas, quæ nisi replicetur quæ sit ut illic ponatur? & sicut incogitabile esset, non plurificato ubi, habere me pluries ubi in loco, ita quomodo non multiplicato, ut ita dicam, per reproductionem esse, potero in tot locis habere esse. Hocque verba videntur Patrum significare, ubi dicitur à Cypriano Christum usque hodie, hoc veracissimum & propriissimum corpus suum creare.

PRÆMITTO 2. *Quamvis conversioni importanti replicationem, conjungi debeat reproductio termini ad Quem, reproductio tamen quæ talis, non est ratio formalis conversionis.*

RATIO. Quia quod est ratio formalis alicujus, quoties ponitur illud toties ponitur & illud, cujus illud, est ratio formalis, sed non ponitur toties conversio, quoties ponitur reproductio: potest enim reproduci aliquid quin aliud desinat, & quin desinat ex vi reproductionis. Conversio etiam non infert semper reproductionem. Ratio est. Quia fieri potest, ut uniter se habeat ille terminus ad Quem, adeoque non occupet plura loca. Ergo pro sua parte conversio, non exigit formaliter esse reproductio. Quod ipsum pluribus rationibus probat Lugo.

PRÆMITTO 3. *Quod aliud sit replicatio, aliud conversio. Restat difficultas an conversio, non quidem reproductionem termini ad quem, sed saltem novam ejus productionem requirat, casu quo terminus ad Quem, non nisi uniter ponatur.*

DICENDUM est, *Ad conversionem, quæ talem, non requiri productionem termini ad Quem de novo.* Seu cum titulo multiplicationis ipsius substantiæ.

PROBATUR I. Argumento Theologico, quo etiam utitur citatus Lugo. Quia conversio Eucharistica, quæ talis, non indiget nova productione termini ad Quem. Ergo simpliciter conversio quæ talis, non exigit productionem termini ad Quem. Si enim vel semel non conveniat aliquid, rei alicui, apparet quod non conveniat ei, quæ tali. Antecedens probatur. Conversio Eucharistica id tantum exigit, quod necessarium est ad salvandam veritatem hujus propositionis. *Hoc est Corpus meum* Nam Ecclesia conversionem Eucharisticam colligit, non nisi ex sensu formæ consecrationis, quod clarè indicat Trident Sess 13 cap. 4. Sed ad salvandum sensum istorum verborum, non est necessaria nova productio. Quod ipsum Probatur. Ponamus non existere Christum in celo, neque sub ullis aliis speciebus, si desinente substantia panis, succederet actione connexa illud Corpus Christi. uniter tunc positum, verificaretur tunc forma, & tamen terminus ad Quem, hoc est, Corpus Christi, non produceretur, de novo inferendo titulum multiplicationis ipsius esse Christi, revera enim tantum uniter esset. Ergo ad verificandum sensum verborum formæ, non est necesse quidquam de novo produci.

RESPONDET I. Arriaga retorquendo argumentum, & dicit, quod si substantia panis alicui conservaretur, & non annihilaretur, si tantum

† (B) 2 sub

sub speciebus panis non esset, verba formæ Consecrationis panis tam propriè essent vera, quam modo sunt. Ergo universaliter non ex proprietate verborum, omnia requisita ad conversionem, deducenda sunt.

CONTRA est. Aliud est: ex sola proprietate verborum, deducere omnia requisita ad conversionem, & aliud est deducere ex illa; concedo ergo quod ex sola proprietate verborum formæ non deducatur annihilanda substantiam v. g. panis, deducitur tamen etiam ex illa. Nam deducitur ex proprietate verborum, non esse illic panem, adeoque id requiri ad conversionem, ut aliquomodo desinat terminus à Quo. Quod autem annihiletur tunc substantia panis, hoc jam ex alio principio deducetur. Restauratur autem prædictum argumentum sic: Quod non requiritur ad conversionem Eucharisticam, illud non requiritur ad conversionem simpliciter ut sic; productio autem termini ad Quem, non requiritur ad Eucharisticam conversionem, quia conversio Eucharistica, colligitur ex verbis formæ per Trident. ad verificanda autem verba formæ, non requiritur productio Terminum ad Quem de novo.

Quod si quæras ex quo principio id deducatur, deduci potest ex argumento negativo. Quia quando nec ratio, nec experientia urget, ad dandam alicui existentialem esse, de cuius existentia controversatur, inclinandum potius est, in hanc partem, quod non sit; quia non multiplicanda entia: jam autem nec ratio, nec experientia probat illam substantiam existere. Rursus, in pane est materia panis, est forma panis; neutro titulo habet jus substantia panis existendi ipsa forma, independenter à dispositionibus sibi debitis: eo autem casu, forma panis non habet dispositiones debitas; hæ enim, sunt formæ accidentales, quæ censentur manere, & sub eis latere Corpus Christi. Denique materia etiam non habet jus existendi in rerum natura sine forma, ex communi Philosophia, nisi obstat miraculum. Cum ergo ipsa forma non habeat tunc jus existendi, nec etiam materia sine forma, inferimus utramque annihilari, nisi velimus multiplicari miracula, h. e. dare jus formæ existendi independenter à debitis dispositionibus. Dare item jus materiæ existendi, sine forma & accidentibus.

RESPONDET 2. Arriaga, majus esse miraculum destrui panis substantiam, quam conservari sine accidentibus. Ergo stantes in nostris principiis, deberemus dicere illam, non desinere.

CONTRA, ut sub speciebus panis, quæ sunt dispositiones ad panem, non sit panis, est id quidem miraculum, sed ut annihiletur substantia panis, supposito quod non maneat sub suis accidentibus, id non est majus miraculum, sed simpliciter secundum conditionem materiæ & formæ. Nam neutrum habet jam jus existendi in rerum natura. Hinc non tantum non est majus miraculum, si annihiletur substantia panis separata à suis ac-

cidentibus, sed miraculū esset, si non annihiletur.

RESPONDET 3. Suarez apud Lugo; quod Ecclesia sensum verborum consecrationis hunc faciat, qui potest esse cum majore proprietate & decentia; cum majori autem proprietate, sumuntur termini. Si ponatur de novo produci terminum ad Quem.

CONTRA: Quia tota proprietas verborum salvatur, quantumvis non ponatur, titulo conversionis præcisè produci de novo terminum ad Quem, seu Corpus Christi. Quod autem attinet ad instantiā pro hac responsione, quæ sic habet: Quod scilicet in Cana Galilee non esse aliunde allatum vinum, sed verè conversam aquam in vinum, inferunt fideles, non ex alio principio, nisi quia ille erat perfectior modus conversionis, consequenter & in conversione Eucharistica reproderetur Christus. Hæc etiam instantia non concludit, nam imprimis etiam miracula Christi non sunt dignificanda; nisi fundamentum positivū istius dignificationis habeatur: aliàs excogitata quacunque possibili dignificatione alicujus miraculi adscribendum erit, illud miraculum dignitatem illam habuisse, per quod multis imaginationibus daretur locus. Vera ergo hæc propositio: dignificanda illa esse, quàm maximè habito fundamento, quale non ostenditur, quod in conversione Eucharistica, ex vi conversionis, sequi debeat productio. Habetur autem fundamentum, quod illic fuerit conversam aquam in vinum, Imprimis ex verbis archiepiscopi, qui dicit, vinum aquam factum. Quam locutionem insperatam, non censurat Evangelista S. Joannes, & tamen illi hoc facere non infuetum, ut eum dissolutione templi explicat, &c. Habetur item fundamentum id asserendi, in communi persuasione Ecclesiæ & Doctorum. Denique supervacaneè dixisset Christus *afferte aquam*, si, ut advertit Lugo, non voluisset ex aqua vinum facere.

PROBATUR II. Ex principiis ipsius Arriaga. Conversio alimenti in substantiam aliti, est vera conversio, & tamen terminus ad Quem, hoc est, anima rationalis tunc non producit. Ergo de ratione conversionis non est productio Terminum ad Quem.

RESPONDEBIS. Conversionem alimenti, non esse veram conversionem formæ alimenti, in animam rationalem.

CONTRA. Tum quia si est quæstio de voce, an illa mutatio sit dicenda conversio, pro nobis stat usus communis. Quid enim pervulgatius est, quàm dicere alimentum converti in substantiam aliti? Quod si sit quæstio de re, nihil ab oppositis adferri potest, in quo deficiat illa conversio à ratione veræ conversionis, nisi petendo principium. Et certe, cum Universaliter dicatur, alimentum converti in substantiam aliti, alanturq; & homines & bruta. Cur tam bene ex objecto loquendo non dicatur forma panis, converti in formam rationalem, atq; dicitur converti in formam bruti. Si enim vera hæc est, alimentum convertitur in substan-

substantiam aliti, (non significando per hoc accessum solius materiæ) quæ est universalis, verificabitur etiam particularis, quod convertatur alimentum, in formam rationalem.

PROBATUR III. Quia nullum est fundamentum, & nulla necessitas, ut ex vi conversionis produci debeat forma; sicut autem non sunt multiplicanda etiam sine necessitate; ita nec conditiones actionum.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Argumenta.

OBJICIT I. Arriaga S. Thom. tertia parte q. 2. art. 1. Ideo DEUM non posse converti in ullam rem, quia DEUS est ingenerabilis & inproduciibilis, quæ ejus ratio non valeret, si ad conversionem non requireretur de novo produci, vel generari Terminum ad Quem.

RESPONDETUR. Illo loco S. Thom. agere, non de conversione quacunque, sed de conversione ratione commixtionis; quæ ratione unum elementum convertitur in aliud; Talis enim conversio, indiget productione formæ.

INSTAT idem. In quæstione de nomine standum esse communi acceptioni.

RESPONDETUR. Negando hanc esse communem acceptionem, cum pro nostra etiam parte, dentur Authores. Quod autem addit, in omnibus conversionibus naturalibus semper produci Terminum ad Quem, id non convincit, in conversione naturali alimenti in substantiam hominis; Quare autem id accidat in aliis conversionibus. Ratio est quia ante conversionem, introducuntur dispositiones, quibus inductis, expelluntur veteres dispositiones, & illis expulsi, jus non habet existendi forma, & retinendi suam Unionem ad materiam. Quia vero materia non potest naturaliter existere sine forma, necessario tunc nova materialis forma educi debet, sed non sequitur exinde, de essentialia conversionis quæ talis, esse novam productionem.

INSTAT II. idem. Ut terminus totalis in alium totalem convertatur, requiritur destructio totalis Terminum à Quo, & productio Terminum totalis ad Quem. Ergo etiam si ipse Terminus formalis, dicatur conversus in terminum formalem, requiritur destructio illius, & productio hujus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia si non ponatur productio totalis Terminum ad Quem, & esset conversio totalis, ut supponitur & non esset, quia deesset productio totalis Terminum, sine qua, ne quidem concipi potest, talis conversio. Similis autem implicantia non urget pro consequenti. Quanquam negari potest antecedens, si sub nomine totalis conversio, veniat Transsubstantiatio; nam in hac requiri productionem novi Terminum ad Quem, jam est negatum. Requiritur tamen productio Terminum totalis ad Quem, in conversione aliqua totali speciali, cum inter species conver-

sionis sit, ut in ea producat Terminus ad Quem totalis, sed negatur id esse de ratione conversionis ut sic.

INSTAT III. idem. In conversione intercedere debet definitio terminum à Quo. Ergo etiam intercedere debet productio terminum ad Quem. Multis solvit hoc argumentum Lugo citatus à n. 150. sed videtur prævidisse solutiones Arriaga. *Hinc aliter*

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia nisi definat terminus formalis à Quo, non potest salvari secundum communem Phrasim definita conversio; nempe quod sit transitus unius rei in aliam, si enim non definit definitiâ, de qua infra, permanet; si permanet, non transit; si non transit, quomodo salvabitur hic transitus Unius ab alio, qualem assumit definitio. Casu autem quo non producat Terminus formalis ad Quem tota illa definitio salvabitur secundum id, quod sonat accepta, & certè tam est aliud illa forma de novo succedens, si hic & nunc producat, sicut est aliud, si producta ponatur in ante, unde ly transitus salvabitur, quia ille tenet se ex parte terminum à Quo, qui supponitur definere, & ly aliud quid salvabitur, quod se tenet à parte Terminum ad Quem; supponitur enim uniri de novo. Secundum autem phrasim definitionis à nobis probatam disparitas est. Quia nisi definat (definitione, de qua infra) Terminus à Quo, illa conversio & esset conversio, ut supponitur, & non esset, quia non esset actio, per quam aliquid, fieret aliud quid, nec ostendi poterit, per quid illa actio formetur in ratione conversionis, nisi definat antecedens forma, quomodo enim convertitur, si non se movet ut ante? Quæ ratio non militat pro consequenti.

OBJICIT 2. Arriaga. Nisi detur productio substantialis terminum ad Quem, non potest esse conversio substantialis: sola enim successio localis sub iisdem accidentibus, non est conversio substantialis; nam quod substantia, jam sit sub his, jam sub aliis accidentibus; non est conversio substantialis: aliàs casu, quo, Deus albedinem Petri, transferret in Paulum, Petrus converteretur in Paulum ergo cum in Eucharistia, juxta definitionem Ecclesiæ, detur conversio substantialis, seu transsubstantiatio, debet necessario dari productio substantialis Corporis Christi Domini.

RESPONDETUR. Sicut potest dari generatio substantialis, quamvis non generetur forma substantialis, & quantumvis Unio non generetur, casu quo sit spiritalis; sic potest esse productio substantialis, sine terminata productione, noviter, ad terminum ad Quem substantialem. Quæ omnia in hoc fundantur ulterius, quia productio illa terminum ad Quem, est productio unitiva, ratione totius ex partibus substantialibus constari: actio autem unitiva, non exigit aliquid substantiale producere de novo, sed tantum terminari ad substantiam, quæ tunc ponitur utitur recentior. Suarez hic n. 48. & Lugo citatus Sect. 8.

† (B) ;

Colli-

Colligitur ex hac occasione non concludere illud argumentum modalium, dari scilicet unionem Substantialem, ex eo, quod non posset ostendi terminus generationis Substantialis. Si enim potest salvari nova substantialis conversio, sine productione nova substantialis Termini, ita potest salvari generatio Substantialis, quamvis pro termino illius, non ponatur Unio Substantialis modalis. Rursus si omnes actiones sunt accidentales, ut censetur voluisse Lugo, etiam Generatio erit actio accidentalis, consequenter non erit necesse ponere Unionem pro termino, quæ sit aliquid Substantiale, de novo productum. Hinc vi istius responsionis, verum est dicere, quod hæc conversio sit conversio Substantialis, & quod habeat terminum Substantialem, sed inde non sequitur, terminum illum debere nova produci actione. Verum rursus est: Conversionem esse actionem, sed inde non sequitur, eundem esse debere terminum productionis & introductionis, ut inquit Lugo. Anima enim in generatione humana introducit, Unio producit; sic etiam in conversione, terminus productionis erit Unio. Conversionis quæ talis, inductio formæ, quæ non erat unita. Attendendo autem ad ultiores Probationes ipsius Arriaga, nego tunc fore solam successionem localem, si non producat de nova forma.

INSTAT I. Idem, & supponit sententiam probabilem, quod quantitas sit indistincta à materia prima. Hoc supposito sic argumentatur. Locum occupare impenetrabiliter, est proprium Substantiæ materialis, & non accidentium, quæ non occupant locum, nisi ratione Substantiæ. Ergo succedere in ordine ad occupandum locum, est succedere etiam in munere proprio Substantiæ materialis. Ergo ex hoc capite, quando quis succedit in locum realem alterius, licet non detur conversio, eò quod non maneat terminus communis, dabitur tamen mutatio Substantialis, quia Una, succedit alteri, in munere proprio Substantiæ, non secus ac in Eucharistia, Substantiæ panis, succedit Corpus CHRISTI.

RESPONDETUR. Succedere non nisi præcisè in ordine ad occupandum locum, non est succedere in munere proprio Substantiæ, quæ Substantia est, licet succedere tam in ordine ad occupandum locum, quam in aliis, quæ ratio Substantiæ importat, sit succedere in ratione Substantiæ, quæ Substantia est. Quia verò is, qui succedit alteri in loco, præcisè non nisi ad occupandum locum succedit, sit ut non succedat ei in munere Substantiæ, quæ Substantia est; præcipuè cum definitivè Substantia non sit penetratio loci impenetrabiliter, sed est alia, de quo, ubi de Substantia.

INSTAT II. Falsum esse Christum succedere in munere proprio Substantiæ. Impossibilis enim est, causalitas Christi Domini in acciden-

tia, in qua constituitur munus Substantiæ, nam prior est conservatio accidentium, quam Christum esse sub speciebus, ideo enim Christus est ibi, quia accidentia duratur non è contrario. Ergo accidentia illa non conservantur à Christo in Sacramento, sed potius ideo Christus est illic Sacramentaliter, quia accidentia conservantur.

RESPONDETUR. An Christus succedat in munere proprio Substantiæ, de hoc consulatur dicta de Eucharistia. Causalitatem Substantiæ panis, quod Christus non possit exerce- re, in genere causæ efficientis in Accidentia, non ostenditur. Conservatio Sacramentalis accidentium, quod sit prior quàm esse Christum sub speciebus non probatur, licet conservatio illorum non Sacramentalis, præcedat positionem Corporis Christi. Illa causalitas: Christus est ibi, quia accidentia duratur, non è contrario; resolvenda ex dictis. Quomodo dispositiones concurrunt ad Generationem.

INSTAT III. idem. Quod Christus efficienter conserve accidentia, demus, cæterum tamen hoc munus non est proprium Substantiæ, imò est contrarium Substantiæ, neque enim accidentia trahunt Substantiam, sed potius Substantia movere secum accidentia. Ergo per hoc non succedit Christus in munere Substantiæ, sed potius in munere accidentis, & si dicas quod Christus sit alligatus accidentibus in ordine ad motum, hoc non est proprium Substantiæ, sed contrarium, neque enim accidentia trahunt Substantiam, sed è contra.

RESPONDETUR. Novum hoc esse, quod conservare accidentia, non sit munus Substantiæ. Quamvis enim verum sit, quod sicut Substantia accidentibus, ita & illa conservare, non sit universalis, aut primarius conceptus Substantiæ; tamen hoc etiam illi competit. Est quidem verum, quod illam causalitatem non suppleat Christus in genere causæ materialis: sed cur non sufficiat, ut suppleat in genere causæ efficientis? Illa propositio: non accidentia trahunt secum Substantiam, sed Substantia movere secum accidentia, ambigua est. Si illius sensus sit, ex vi unionis Substantiæ cum accidentibus, non verò unionis accidentiū cum Substantia sit motus, hæc propositio est falsa; eadem enim est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, eò quod eadem sit unio, quæ est radix illius tractionis. Si autem hic sensus sit, attendendo ad subiectum: cum Substantia sit subiectum accidentium, non autem accidentia subiectum Substantiæ, sit ut attento subiecto, potius Substantia moveat accidentia, & trahat, quàm Substantia accidentia: hæc propositio est vera, sed nihil facit contra nos.

ADDIT Lugo. Non posse disparitatem ullam assignari, in modo movendi, quo Sacerdos movet Corpus Christi, quod non impellit immediate: & in modo, quo moveret Substantiam panis si illic daretur. Quoad si in hostia consecrata, immediate moventur accidentia, etiam alias, dum

DIFFICULTAS III.

dum est substantia panis, immediate movebuntur. Et sicut immediate visus attingit albedinem, mediate parietem album, ita immediate moventur accidentia, mediate substantia.

INSTAT IV. Arriaga. Eò quod dicatur Christus contentus sub speciebus panis, & denotetur pronomine *Hoc*, non requiritur ullo prorsus modo, ut Christus exerceat munus substantiæ, erga illa accidentia; Sicut cum ostendo in cista aurum contentum, & dico, hoc est aurum, non est necesse, ut cista exerceat ullum munus substantiæ in aurum. Ergo non potest illa conversio dici substantialis, ex successione in munus substantiæ. Ergo in hac sententia præcisè dicitur ea conversio substantialis, quia una substantia, succedit in locum alterius.

RES POND. Quando dico demonstrando istam, Hoc est aurum, est locutio figurata, contentum significans; sed particula *Hoc* in Consecrationis forma, non accipitur figuratè, sed in proprio sensu, ut significet, Hoc, non est panis, sed Corpus Christi, quod verificari non posset per Lugo, si Corpus Christi, non succederet in munus substantiæ, quæ successio in munus substantiæ, salvabit conversionem quantumvis sine nova productione Corporis Christi. An autem Ly *Hoc* demonstret Christum, petatur ex Materia de eucharistia.

INSTABIS V. Si non producit de novo substantia Corporis Christi, idque præcisè titulo conversionis, etiam successio unius in locum alterius, erit Conversio.

RESPONDET Lugo, esse quidem illic conversionem aliqualem compositi resultantis ex loco & locato, non esse tamen transubstantiationem ut in Eucharistia, nec rigorosam Conversionem substantialem, ex dictis supra.

OBJICITUR III. Quantumvis Conversio, non exigeret, quæ talis productionem Termini formalis ad Quem, saltem exigit Conversio Eucharistica, quia verba vim habent ponendi & producendi Corpus Christi. Hinc quamvis in cælo corpus Christi non esset adhuc vi verborum poneretur, præsentia enim Eucharistia, non penderet à naturali. Si autem verba illa, habent vim producendi corpus Christi, producent illud. Nam causa necessaria, quod potest ponere, ponit.

RESPONDETUR. Quod conversioni qualis defacto datur in Eucharistia, annexa sit productio, quando tamen ex vi Verborum consecrationis ponitur corpus Christi ponitur non ex vi exigentiæ & prædicato conversionis, sed ex vi conversionis replicatiæ, qualem voluit esse Christus in Eucharistia.

In instantiis allatis duæ tangebantur difficultates. Prima, An corpus Christi in Eucharistia, succedat in locum substantiæ panis, & hæc petatur ex materia de Eucharistia. Secunda. An vi conversionis produci debeat Terminus ad Quem, hæc difficultas in præsentia resolvitur.

An Terminus formalis à Quo, desinere debeat in Conversione.

ASSERO I. *Terminus formalis à Quo totalis simpliciter desinere debet.*

RATIO Quia & foret tunc Conversio, ut supponitur, & non foret, quia non esset ulla mutatio.

ASSERO II. *Non esse de ratione Conversionis secundum quam dicatur totum converti ut desinat simpliciter Terminus à Quo.*

RATIO. Quia quod de ratione, Conversionis est, in omni Conversione reperiri debet, sed desinitio Termini Formalis à Quo, non reperitur in omni Conversione; quod ipsum probatur. Tum quia defacto dicitur homo converti in cadaver, vermes, & similia; & tamen forma illius non desinit simpliciter. Tum quia ut non multiplicanda sunt entia sine necessitate, sic nec conditiones agendi; nulla autem necessitas addendi hanc conditionem Conversioni, ut in illa desinat simpliciter Terminus formalis à Quo. Tum quia posita forma, habente jus existendi in rerum natura, sine unione, si illa expellatur actione tali, quæ inferat positionem alicuius forme, cur non dicitur tunc converti in aliud? & tamen non erit desinitio termini formalis à Quo.

ASSERO III. *In Conversione, Forma materialis naturaliter desinere debet.*

RATIO Quia non habet jus existendi independentem ab unione, secus de forma spirituali.

ASSERO IV. *Quamvis de ratione Conversionis non sit, secundum quam dicatur totum converti, ut desinat simpliciter Terminus formalis à Quo, tamen est de ratione Conversionis, in qua forma, dicitur converti in aliam formam, de ratione inquam talis conversionis est, ut desinat simpliciter forma prior.*

RATIO. Ad hoc ut dicatur converti Terminus totalis à Quo, debet desinere terminus totalis à Quo. Ergo etiam ad hoc ut dicatur converti terminus ipse formalis à Quo. Deinde, casu quo dicatur converti Terminus formalis à Quo, & tamen non desinere, & erit conversio formalis, ut supponitur & non erit, quia illa forma nullo modo fieret aliud quid, æquè enim manet immutata in sua entitate ut ante. Denique non semper quando mutatur Terminus totalis à Quo, desinit forma, ut patet in Conversione hominis in cadaver. Ergo ad hoc ut dicatur converti ipsa forma debet habere aliud quod speciale conversionis fundamentum; hoc autem ostendi non potest, nisi dicatur desinere ipsum terminum formalem à Quo.

DICES. Terminus formalis à quo totalis, dicitur converti in aliud totum quamvis non

† (B) 4 de-

desinat forma. Ergo etiam ut dicatur converti terminus formalis à Quo, non debet illa forma definere.

R E S P O N D E T U R. Disparitatem esse, Quia totum formaliter & in re, cum nihil aliud sit, nisi ipsæ partes unitæ, ad hoc ut dicatur totum definere, sufficit ut definant esse unitæ, hoc ipso enim jam non sunt totum, adeoque sufficienter jam ostenditur, per quid salvetur conversio totalis, adeoque mutetur totum, quam mutationem, pro genere aut assumit, aut supponit Conversionem. Ut autem salvetur conversio formalis, non poterit ostendi sufficiens transitus nisi dicatur definere ipse terminus formalis à Quo.

Adde tamen, licet interdum non dicatur forma conversa in aliam formam, & ita, non dicitur frigus conversum in calorem. Sed frigidum in calidum: bene tamen hoc etiam usurpatur; bene enim dico, etiam formam ligni conversam in formam ignis, licet etiam bene dicatur lignum conversum in ignem, quæ locutio magis est usitata, quia denominatio desumitur à principaliori, rationem autem principalioris, habet totum præ forma.

ASSERO V. In Eucharistia positæ alterationibus, vi quorum desinit esse corpus Christi, sub speciebus sacramentalibus, non debet dici corpus Christi converti, in illud succedens totum. Est assertum contra Lugonem hic Sectione decima qui cum distinctione loquitur, si sumatur corpus Christi pro toto illo, ex corpore Christi, & accidentibus conflato, converti illud. Verè enim desinit illud totum, & reliqua ad conversionem spectantia servantur. Si autem corpus Christi sumatur præcisè, tunc, vel potest procedi in sententia quæ reproductionem admittit, & sic certum est reproductum illud, quæ reproductum est, verè definere. In sententia autem reproductionem non admittente, non desinit. *Sed nostri asserti*

RATIO est. Tum quia quamvis concedatur corpus Christi, quæ reproductum, definere, non tamen debet dici converti, quia usus communis, illi desitioni, non applicuit nomen conversionis. Tum quia idem Lugo citatus Sectione 9. ægrè fert numer. 155. ab Arriaga corpus Christi dici converti substantialiter in vermes, & quare ipse non ægrè id fert, dictum de Eucharistia, quo nomine, venit totum, conflatum ex corpore Christi & accidentibus panis. Tum quia, ut supra dicebam nihil commune, proprium corpori Christi, manet sub utroque termino & tamen vidimus supra, in utroque mutationis termino, manere aliquid utrique commune.

NEQUE valet si dicas, quod illa accidentia quamvis non sint propria corporis Christi, sint tamen propria illius conflati ex corpore Christi & accidentibus; quia illa accidentia dicuntur esse propria alicujus, quæ illi debentur secun-

dū esse illius, eò, quod illa vel emanarit, vel produxerit, vel à generante sint illi provisa. Sic v.g. si albedinem Pauli transferat Deus in Petrum, non dicitur illi esse propria, sic nec illa accidentia dicuntur propria Eucharistia.

Q U Æ S T I O III.

De Augmentatione.

P R Æ M I T T O I. In quo sit in præsentis status *quæstio*. Et imprimis non est hic status Quæstionis de augmentatione latissime, & per quam quocunque modo fit aliquid majus; quali augmentatione augetur aqua, si cum altera cōtinuetur: Nec hic est Quæstio de rarefactione tantum, quia illa est solum species augmentationis, & convenire potest tam viventibus, quam non viventibus. Hic autem primò per se agitur de augmentatione solis viventibus. Rursus agendo de augmentatione solis viventibus debita, hæc in triplici ordine spectari possit. Primò ita, ut addatur aliquid substantiæ, sed non æquivalens ei, quæ deperdita supponitur, & hæc additio non debet appellari nomine augmentationis, sed potius nomine diminutionis. Secundò addi potest aliquid substantiæ, æquivalens deperditæ, & hæc appellari potest propriè status. Tertiò acquiri potest plus substantiæ, quam fuerit deperditum, & hoc propriè appellatur augmentatio.

P R Æ M I T T O II. Quod non congruè refertur essentia augmentationis in motum unitivum quantitatis majoris. Ratio præmissi; quia dantur partes entitativæ substantiis materialibus propriæ, exigitivæ quantitatis. Cur ergo non potius motus illi unitivus erit ad illas partes? Rursus, ponamus quod materia alimenti sit spoliata quantitate; ponatur, rursus quod in illam ita spoliata, agat nihilominus potentia augmentativa, idque per miraculum. Verè tunc fiet augmentatio partium entitativarum, & tamen non erit motus unitivus quantitatis majoris. E converso, ponatur quantitas alimenti, & non ponatur substantia alimenti, & per potentiam augmentativam addatur hæc quantitas, præexistenti viventis quantitati, erit motus unitivus quantitatis majoris, & non erit augmentatio. Quod ipsum probatur, quia augmentatio non est nisi fiat conversio in substantiam aliti, jam autem sola præcisè quantitas, cum non sit substantia, non potest dici, converti in substantiam aliti. Denique sicut datur augmentatio in quantitate, ita datur augmentatio in substantia, & cum hic agatur primò per se de augmentatione substantiæ, non debet illa per augmentationem accidentalem explicari.

DICES In oppositum esse Aristotelem primò de Generatione textu 4. ubi dicit quod caro, os, manus augeantur adveniente aliquo quanto.

R E S P O N D E T U R.

RESPONDETUR. Aristotelem non cognovisse separationem substantiæ ab accidentibus, & ex hac præsuppositione locutum fuisse, cuius oppositum supponit Christiana Philosophia. Vel certe loquitur hic & de augmentatione substantiali, & de accidentali; nam textu 41. ibidem augmentationem refert in quantam carnem, quanta autem caro, addita præexistenti, infert augmentationem & substantialem, & accidentalem. Quando autem adfertur tex. 34. in quo supponit Aristoteles, ratione quantitatis alimenti manentis, fieri illam augmentationem, id etiam non convincit: quia supponit quidem Aristoteles, quod maneat quantitas, sed supponit etiam, quod maneat materia, adeoque substantia alimenti, quam non pertinet, ex sententia Aristotelis, ad augmentationem non ostenditur. Eodem modo debet explicari primi Physicorum tex. 13. s. Physic. tex. 18. 2. de anima tex. 47. Posita autem distinctione substantialis & accidentalis augmentationis, distinguuntur realiter inter se, sunt enim separabiles, licet id non cognoverit Aristoteles.

PRÆMITTO III. *Non recto explicari augmentationem, per productionem formæ, aut productionem novæ unionis.*

RATIO prioris partis est. Quia homo augetur in qua augmentatione, non producit formam rationalem. Ratio posterioris est. Quia hæc nova unio, vel est tantum inter formam, de novo productam, & inter materiam, & sic non dicit ullam augmentationem, sed solum generationem, vel est inter formam jam ante productam, & materiam de novo additam. Ostendit ergo quod illi ipsi præcisè unioni competat prædicatum augmentationis; ostendit per quid extrahatur ad rationem augmentationis; & hæc ratio potius ostendit rationem definitivam augmentationis. Ceterum in augmentatione quamvis debeat addi de novo aliquid materiæ, nam non esset unde deberet dici illa substantialis augmentatio; quamvis item illa materia debeat supponi in formata, vel formata, jam ante producta, vel tunc de novoeducta, nam hic agitur de augmentatione viventis, cuius vita nulla est sine forma. Quamvis item supponatur unio nova formæ, nam, ut dixi, augmentatio perfici non potest, sine informatione; informatio autem sine unione, nihilominus.

PRÆMITTO IV. *Quod ratio formalis ultimò constitutiva augmentationis non sit actio terminata ad unitum unionum.* Est præmissum contra Oviedo hic puncto 7. num. 6.

RATIO est I. Quia compositum, non consistit formaliter, in ipsa productione unionis. Ergo nec augmentatio compositi, consistet formaliter in actione unitiva unionum, per quod enim constituitur compositum, per hoc constitui debet & augmentatio compositi,

cum nihil sit illa augmentatio nisi compositum additum.

RATIO II. Quia unio non est id quod augmentat; hic autem agitur, de eo quod augmentat. Assumptum autem probatur. Quia unio, tantum unit id, quod augmentat. Rursus, augmentatio accidentalis seu quantitativa, necessario est quantum quid, unio autem quæ talis, non est quid quantum; aliàs si quæ talis esset quid quantum, etiam unio spiritualis quæ saltem possibilis est, deberet esse quanta; quod enim entis quæ tali convenit, semper, & in omnibus inferioribus, illi convenit.

RATIO III. Quia possibile est compositum, imò in sententia modalium aliquorum, datur, cuius duæ uniones partiales, exigant uniri tertiam, & tamen nemo inde infert, unionem illam unionum, esse augmentationem. Ergo ratio augmentationis, non consistit formaliter, in illa unionem unionum.

PRÆMITTO V. *Augmentationem accipere posse, vel pro termino, vel pro actione augmentativa.* Accipiendo augmentationem, pro Actione, ratio generica augmentationis, quæ sit communis, ad augmentationem substantialem, & accidentalem. Sic describi potest. Quod sit actio essentialiter ordinata ad faciendum majus. Si autem sumatur pro termino. Extractio ut Quod constituens majus. Restrictius autem loquendo, augmentatio substantialis pro actione sumpta, est motus ad ponendam majorem substantiam. Sicut proportionaliter, augmentatio accidentalis, est motus ad ponendum majus accidentaliter. Pro termino autem accepta augmentatio, si sumatur pro augmentatione substantiali, erit ratio ut Quod constituens majus substantialiter. In augmentatione autem accidentali, accidentaliter. Jam autem ratio communissima augmentationis, complectens tam augmentationem sumptam pro actione, quam sumptam pro termino, sic describitur. Est id quo fit majus. Ipsum autem, quo fit majus, duplex est, aut quo fit majus ut *Quo*; & hoc erit augmentatio, sumpta pro Actione, aut quo aliquid fit majus ut *Quod* & sumetur tunc augmentatio pro Terminò.

PRÆMITTO VI. *Quid non sit augmentatio.* Primo. Generatio non est augmentatio.

RATIO. Quia nihil dicitur generare seipsum, & tamen omne vivens vegetabile augmentat seipsum. Unde quando generans ponit genitum, non dicitur esse augmentatio. Rursus, Generatio dicitur esse à privatione ad formam, augmentatio à minori substantia, ad majorem.

An autem omnis augmentatio sic Generatio divisi sunt auctores. Affirmat Arriaga, negat recentior Suarez. Difficultas est resolvenda in diversis suppositionibus. Primò intelligendo au-

do augmentationem, quæ continuationem solum importat, nulla tunc est Generatio.

RATIO. Quia nihil hic producit, nisi continuatio, quæ continuatio per nos, nihil aliud est, nisi negatio terminorum. Secundò intelligendo augmentationem, quæ non solum continuationem, importat, sed supponit pro augmentatione non viventium, talis augmentatio, semper importat generationem. Ut cum augmentat se ignis, producendo alium similem. Tertiò supponendo pro augmentatione viventis, ea semper in materialibus, importat, productionem Formæ materialis, & in homine, modi materialis.

RATIO. Quia augmentatio non potest perfici sine informatione, quæ in materialibus, deposcit etiam productionem formæ: in homine autem, productionem modalitatis.

DICES. Actio illa continuativa debet habere aliquem terminum, qui assignari non potest. Si nihil in continuatione generetur.

RESPONDET Recentior Suarez, quòd actio illa, tendat in Terminum, non productum, sed continuatum, sicut & conversio quæ talis, tendit in terminum non productum, sed succedentem. Quæ responsio conformis est principiis nostris, sed enervat argumentum illud modali: ideo dari debere unionem substantialem, quia non assignaretur Terminus Generationis substantialis.

PRÆMITTO VII. Quotuplex sit augmentatio. Et dico. Aliam esse substantialem, aliam accidentalem, substantialis dividitur in augmentationem materialem, hoc est partium materiæ, & formalem, hoc est partium formæ, si sit divisibilis, & augmentationem modalitatum. Rursus alia est augmentatio, quæ viventibus; alia, quæ non viventibus competit. Augmentatio connaturalis viventium, vocatur nutritio. Dixi connaturalis, quia si fiat sine ullo motu viventis ab extrinseco, esset tunc verè augmentatio, licet non connaturalis. Augmentatio autem non viventium, si fiat per productionem novæ partis, vocatur aggeneratio; quomodo ignis se augmenrat. Si fiat absque productione novæ partis, vocatur simpliciter augmentatio, ut cum continuantur duo ignes, duæ guttæ, &c. Augmentatio autem viventium & non viventium, discernitur per hoc, ut scitur ex alibi dictis, quòd viventia augmentent se, per intusumptionem, non viventia autem, per solam appositionem & accretionem. Jam verò augmentatio accidentalis, dividi potest in quantitativam, & qualitatis.

Ad principale in hac materia punctum descendendo. *Sic*

Quomodo fiat augmentatio.

In hac Materia. *Difficultas prima est.* An augmentatio ita perficiatur, ut fiat per partem aliquotam. Certam, simul in instanti. *Secunda.* An fiat per partem proportionalem, ita ut augmentatio involvat prius & posterius in illa parte. *Tertia.* An hoc utrumque adhuc perficiatur, per interpositas morulas, vel non. Fieri augmentationem per partes proportionales tenent Conimbricenses Rubio, & post illos Oviedo. Fieri autem per partes aliquotas tenet Hurtado, Arriaga, recentior Suarez, Morillas admittit Arriaga, & ex parte Oviedo: negant alii, & post illos recentior Suarez. *Sic*

Punctum Difficultatis I.

Fundamenta utriusque partis.

Quod fiat augmentatio per partes aliquotas. **PRIMUM ARGUMENTUM** est ex Arriaga & Hurtado. Qui supponunt formam non posse induci, nisi in materiam, determinatæ magnitudinis, quo posito, sic argumentatur. Illa materia non fuit tota disposita simul, si non. Ergo prius una pars fuit ultimò disposita ad formam ignis v. gr. quàm altera: & tamen non prius habuit formam ignis, siquidem dicitur Augmentationem non fieri per partes aliquotas: hoc autem manifestè repugnat, quia quando est ultima dispositio ad formam ignis, necesse est ut ipsa forma inducatur, naturaliter enim petitur ab ejus dispositionibus.

RESPONDETUR. Omnis retorsionibus quas ponit Oviedo, aliam esse difficultatem, an tota materia sit simul disposita, & alia, an tota simul sit ultimò disposita tenendo ergo, quòd augmentatio fiat nonnisi, per partes proportionales, dicitur quòd non tota simul disponatur, sed per partes, licet tota simul disponatur ultimò, hoc sensu, quia non dispositio tot partibus, quot ad minimum materiæ in viventibus requiruntur, non dicitur ultimò disposita, jam autem nonnisi disposito toto minimo materiæ, dicitur esse capax formæ viventis. Hujus responsionis meminit etiam Oviedo controversia 5. puncto 4. paragrapho 2. qui etiam addit inter dispositiones ultimas, non solum esse tantam intensiorem, sed etiam tantam extensionem, quæ ex tensio non datur in eo, quòd est minus minimo requisito.

SECUNDUM ARGUMENTUM est, quòd proponit Arriaga & recentior Suarez petiit ab experientia. Quia scilicet videmus, sonum æqualiter audiri, in certa aliqua distantia, ab omnibus

bus qui in illa sunt, licet intra illam existant inæqualiter distantes. Ergo signum est, quod in illa certa distantia, producantur species æquæ simul.

RESPONDET Oviedo, species soni contrario carere, ac proinde in eodem instanti produci in tota sphaera activitatis. Hinc fit, ut contenti intra illam sphaeram, eodem tempore sonum audiant. Quod autem à longè citius videatur ictus, quàm sonus, id ideo fit, quia color & lux, majorem habent activitatis sphaeram, quàm sonus, & ipse sonus devolvitur ad auditivam, mediante moto aëre, qui non ita citò movetur, ut pervadat lux suum medium. Deinde dici potest quod etiam intra sphaeram activitatis soni, prius audiant sonum, qui sunt viciniiores, quàm qui sunt intra eandem sphaeram remotiores, quàmvis propter distantiam non notabilem, ea sensu percipi non possit. Quæ responsio tali imaginatione firmari potest, si sphaera activitatis soni, unius v. g. leticæ, collocetur in illa, per lineam rectam homines sonum excepturi; extra illam leucæ, sint alii itidem, per lineam rectam dispositi. Inter illum primum qui est extra sphaeram plenæ activitatis collocatus, & inter secundum itidem collocatum extra eandem sphaeram, non potest intercedere notabilis differentia, quàmvis defacto sit aliqua. Ceterum indubiè prius percipit sonum, immediate assistens sonoro, quàm is, primus est in secunda leuca, non quidem extra sphaeram simpliciter; collocatus tamen extra sphaeram plenæ activitatis. Ergo etiam idem dicendum est de illis contentis intra sphaeram activitatis, quod qui priores sunt, prius audiant, licet sensu percipi non possit differentia. Et sicut impulsus aëris, flabello factus, successionem habet, quàmvis intra certam sphaeram sentiri non possit, ita idem dicendum de sono.

Aliam experientiam adferunt Arriaga & Recentior Suarez, quia lux solis, si decreveret continenter, juxta majorem distantiam ab ipso sole, decrevisset, dum ad nos accedit prope in infinitum, quia sunt prope infinita distantia puncta, ad nos, ab illo, cum tamen videamus, maximam lucem produci à sole juxta nos.

RESPONDETUR. Ex illa interceptione punctorum, prope infinitorum probari multum quia probaretur, non illuminari æquè luminosè digitale spatium, cum etiam in illo intercipientur prope infinita puncta, referri ergo hoc debet in id principium, quàmvis. Succellivè minor lux producat in remotioribus à sole, quia tamen producit magna intensio, fit, ut juxta nos etiam sit magna lux.

TERTIUM ARGUMENTUM ex Arriaga. Qualitas materialis non potest existere in una superficie indivisibili hinc agens quàmvis virtutem habeat citius producendi in viciniore parte, quàm in remotiore; tamen quia non potest ita

indivisibiliter existere, sed requirit certam magnitudinem, non potest nisi in certa magnitudine nequalitatem producere.

RESPONDETUR. De hoc ipso quæri, cur in ipsa illa certa magnitudine, simul non producat rota qualitas.

Sunt alia argumenta pro hac sententia, sed illa vel supponunt heterogeneitatem graduum, aut infinitudinem partium.

Quod attinet ad fundamenta Contrarie partis.

I. RATIO est ex Oviedo hinc controversia 5. puncto 4. numero 46. Quia scilicet nullum est fundamentum quò probetur agens agere uniformiter, difformiter per partes aliquotas.

RESPONDERI posset: non esse etiam fundamentum, quare debeat agere opposito modo. Neque valet si dicas sufficere argumentum negativum, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; adeoque nec modi agendi: Perfectior autem est modus agendi per partes aliquotas, quàm per proportionales. Non inquam valet, non enim apparet, hunc esse perfectiorem modum. Supponamus enim quod agens non nisi habeat vim agendi ad duas leucas, quid interest, si per partes aliquotas, vel proportionales agat, ad eum modum quo elemosynarius Principis habet jus dispensandi triginta aureos, majorne erit vis, si uni det totum vel si uni det quindecim, alteri quatuordecim, & ultimo unum. Tota ergo perfectio agendi, spectatur penes sphaeram ultimam, præcipuè cum totum cumulum accipiendo, tam productorum per partes proportionales, quàm per partes aliquotas, æqualitas habeatur. Rursus, si taxa perfectionis est pensanda, ex vi agendi in parte potius aliquota, quàm proportionali, sequeretur, quod si luminosum aliquod, posset illuminare per leticas decem, per partes proportionales, minus perfectum licidum esse, eo lucido, quod, non nisi ad duas leucas per partes aliquotas tamen produceret lumen.

II. RATIO est ex eodem. Et supponit, quod inter partes aliquotas aliquæ sint magis propinquæ, quædam magis remotæ. Supponit item, pars magis propinqua, magis intendatur, minus propinqua, minus intendatur; ex quo format argumentum. Ideo agens magis agit in hanc aliquotam partem, quàm in illam, quia est illi propinquior, sed similiter quæcunque proportionalis, est propinquior agenti præ alia sibi succedente. Ergo magis agit in illam, quàm in aliam, illi ipsi succedentem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quæ communiter adfertur, quia partes proportionales intra aliquotam A. contentæ, sunt intra sphaeram agendi non nisi uniformiter; jam autem pars aliquota B. non continetur intra sphaeram agendi uni-

di uniformiter, quod ipsum probatur, rejiciendo id in naturam agentis, quæ nobis in posteriori, per experientiam v. gr. de sono innotescit. Hinc illa causalis aliquota pars remotior minus intenditur, quia est remotior, non est adæquata sed quia non continetur intra spheram agendi uniformiter, neque est hoc immerito recurrere ad naturam agentium, quia experientiam illam de sono, non negat Oviedo. Illustrari hoc etiam potest. Quia etiam in vivente, non prius medietati minimi naturalis conjungitur forma, quam toti minimo, ita & in præfenti.

III. RATIO est. Accretio successivè fit; fit enim medio motu locali, est enim extensio ad majorem locum, quod si fit medio motu locali, fit per prius & posterius, adeoque successivè.

RESPONDETUR. Aliud esse, an aliquid fiat medio motu locali, & aliud, an fiat majorem locum occupando. Quod accretio, item nutritio fiat medio motu locali, falsum est, nam hic ut benè arguitur supponit prius & posterius, adeoque successione, quæ, non potest in nutritione respectu minimi materiæ salvari. Alia autem hæc est propositio, an in accretione, fiat extensio ad majorem locum, & hæc propositio est vera, pro statu naturali. Et certè anima rationalis, minimum materiæ non incipit informare per localem motum, nec Angelus totam spheram locabilitatis suæ, simul implendo, facit id per motum localem. Luminosum item spargit suam lucem, non per motum localem. Sed hæc omnia id præstant vi, quam habent ad tantum operandum in tanta sphaera, licet his competat extensio ad majorem locum vel minorem.

ADDO. Quando dicitur nutritio esse extensio ad majorem locum, qui occupari debeat per localem motum, si id accipiat de ipsa materia mutationis, hæc, licet supponatur in ante mota localiter, pro priori tamen, immediatè antecedenti ipsam unionem formæ viventis, jam supponitur immediatè præfens, adeoque non mota localiter. Si autem extensio ad majorem locum, sumatur ratione formæ, extendet se in illam materiam approximatum nutritionis forma. Si nullo motu locali.

Quando autem Aristoteles primi. Physicorum textu 18. & octavo Physicorum textu 55. eam augmentationem dicit motum: vel non loquitur de motu locali, sed de motu convertente alimentum in substantiam aliti: vel si loquitur de motu locali, accipit augmentationem latius, prout involvit transmissionem & attractionem materiæ alimenti, quod non fit, sine motu locali. Quando autem S. Thomas innuit oportere augmentationem fieri successivè, nihil concludit, an debeat fieri per partes aliquotas, an per proportionales. Nam etiam si fieret per partes aliquotas, sicut illæ sibi succedunt, ita

& augmentatio per illas facienda, poterit successione habere.

Punctum Difficultatis 2.

Deciduntur Tenenda.

DICENDUM est I. *Augmentationem fieri per partes aliquotas.*

PROBATUR I. Si non fieret per partes aliquotas, ideo non fieret quia in partibus aliquotis, sunt partes proportionales proximiores & remotiores, quæ deposcunt ut fiat augmentatio per prius & posterius, sed id nequidquam probat: quia aer illuminatus habet partes priores & posteriores, locus item divisibiles, quem occupat Angelus. Item materiam, quam primò informat anima rationalis, & tamen ista omnia fiunt absque motu locali.

PROBATUR II. Inductio formæ substantialis viventis fit per partes aliquotas; hoc ipso enim non fieret secundum minimum necessarium requisitum. Ergo & augmentatio.

PROBATUR III. Argumento negativo; Cum tanta sit difficultas partium proportionalem, quantum fieri potest caveri debet, ne quidquam per eas explicetur, & in oppositum non urget ratio.

Restat aliud decidendū. An hæc augmentatio fiat per interjectas morulas, quæ difficultas est communis, sive augmentatio fiat per partes aliquotas, sive per proportionales, quia de utrisque inquiri potest, an fiat per morulas interjectas. Quando autem quaeritur, an agens agat per interjectas morulas, non est iste sensus: An si debeat producere formam substantialem, continuè eam producat, certè enim non continuè illam producit, nam prius hæc pars ligni ignitur, postea remotior ut sensus etiam docet. Hic item est sensus. An si successivè applicetur agens, successivè fiat effectus, & hoc enim certum est, hinc fit ut non simul totum orbem sol illuminet, quia successivè, ad diversas mundi partes applicatur. Sensus ergo tantum est: An conquiescat aliquando agens necessarium, quantumvis applicatum ad agendum; ita, ut illa quies, possit appellari morula interjecta.

DICENDUM est II. *Agens non agere per interpositas morulas.* Est conclusio post alios Recentioris Suarez & Pontii hæc disputatione 53. numero 10.

PROBAT I. Pontius, cujus

I. RATIO est auctoritas Aristotelis quinti Physicorum textu 39. ubi Philosophus docet, motum propriè dictum esse continuum, & tamen nullus motus, est magis propriè dictus, quam alterationis.

RESPONDERI potest. Agere illic Aristotelem, de motu locali, qui est propriissimè motus. Imò ibidem

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

itidem 8. Physicorum textu 20. dicit, quod asserere aliquid continuo alterari, sit valde manifestis adversari.

II. RATIO ejusdem est. Successio in qualitate oritur ex divisibilitate ipsius, ac qualitatibus sibi oppositis. Sed est divisibilis in infinitum. Ergo non potest ulla ipsius pars in instanti produci. Illa enim pars quæ produceretur, haberet plures partes, & consequenter haberet principium successionis.

RESPONDET I. potest. In principiis multorum continuum non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus, sed ex punctis finitis. Sed quidquid sit de hoc, aliunde argumentum non convincit, distinguendæ enim sunt hæ duæ propositiones. Res divisibilis habet successionem entitativam. Et Res divisibilis non nisi divisibiliter, & successivè produci potest. Prior propositio est vera, posterior autem non probatur ab arguente.

III. RATIO Ejusdem est. Quia sequitur agens naturale debite applicatum passo, pro aliquo tempore nihil in ipso producere quod est absurdum.

RESPONDENT aliqui huic argumento, quod posita illa morula intendatur nonnisi effectus. *Hec responsio*

NON SATISFACIT. Quia fieri potest quod producatur aliquid incapax intercessionis. Videtur item hoc esse mera divinatio. Deinde si potest tunc intendi effectus, cur & non produci.

RESPONDENT alii II. Producit tunc dispositionem. *Sed hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia fieri potest, quod nulla alia prærequiratur dispositio, ut si primæ dispositiones producerentur, vel si nulla sit ad effectum requisita dispositio, v.g. ad ponendum lumen in aëre.

RESPONDETUR III. Posita debita dispositione agere agens, negabitur autem inter has debitas dispositiones, non esse interceptionem morularum. Nihilominus

PROBATUR II. Argumento negativo, quia scilicet ex una parte nulla experientia, & nulla ratio suadet requiri, vel tanquam dispositiones, vel tanquam modum agendi istas morulas. Ex altera parte necessarium agens, nisi sit impedimentum semper agit, quod impedimentum habere illud à morulis, nec ratio, nec experientia probat, per quod restauratur etiam ratio Pontii, ad negativum principium illam reducendo.

PROBATUR III. Iis rationibus, quæ allata in materia de Continuo, contra ejus morulas.

OBJECIT I. Arriaga. Si ignis applicatus alicui magnæ trabi, continenter omnibus momentis in eam operaretur, eam calefaciendo, in primo, verbi gratia, instanti primam superficiem, in secundo secundam, & sic de aliis, deberet tota trabs in ictu oculi usque ad finem calefieri, quia in ictu oculi, sunt tot instantia, quot superficies in una trabe, quia sol, in ictu oculi conficit unam vel duas leucas spatii, & in quolibet instanti non potest de novo conficere, nisi unicum indivisibile spatium. Ergo ignis singulis instantibus, unam superficiem de novo calefaceret, & in ictu oculi totam trabem percurrir.

RESPONDETUR. Supponit hoc argumentum aliquid, quod in nostris principiis est falsum, nempe trabem constare indivisibilibus. Sed etiam hoc posito, nondum convincit argumentum, quia fieri potest, ut in primo instanti propter resistantiam passi, non possit formam intentam producere, & propter limitatam agendi spheram, non potest agere in partem aliquotam, idque simul, sed nonnisi successivè ad eam pervadendo, licet sine ulla morula desistentis actionis. Deinde hoc argumentum, dum probat suam sententiam, hoc ipso illam improbabilem reddit, quia si valet calculatio argumenti, sequitur infinite pluribus morulis, & instantibus otari ignem, & quodcumque agens necessarium, quam agat. Sequetur alia calculatione probos, demus lignum tripalmare, computetur quoties illud in duabus leucis contineatur, si ergo sol duas leucas conficit in ictu oculi, ignis calefacere debuisset illud lignum, minus ictu oculi, & citius, toties quoties, & quot partibus minus est lignum tripalmare, duabus leucis. Ergo si non ignescit illud lignum referendum est in morulas. Ergo istæ morulæ notabiliter perceptibiles, plures sunt quam instantia, quibus calefacit ignis. Ergo ulterius sequitur, quod plures, verbi gratia, plumas, vel fila tenuia non possit comburere ignis in illa duratione ictus oculi, quam comburere, quia habet plura instantia, in quibus non agit quam agit. Sequitur item, quod quamvis interdum possit tardius agere, non tantum ob morulas, sed etiam ob resistantiam passi, nonquam tamen poterit citius, quia habet præfixas velocitatis metas, per alligationem ad statas morulas. Sequitur item, quod interdum per plures morulas, quiescente igne, si illi applices intra illas morulas digitum, non sis illum adustus. Neque valet si dicas propter citissimam transactionem illarum morularum, reassumere actionem ignem, semperque

† (C)

sequi

sequi unctionem, quia hoc quidem experimur, sed si dentur morulae, experiri non deberemus, quia per plures incomparabiliter morulas sequitur, quod non peragatur unctio.

OBJICIT II. Idem: Sonus producit species sui ad certum spatium, & quidem in instanti, ut patet experientia, quia qui proximè adstant æquè primò vident ictum ac sonum, in partibus autem remotioribus, citius videtur ictus, quàm sonus; quod in aliud principium referri non potest, nisi quia illa species cessant ab operando, & postea operatae sunt. Ergo potest agens naturale esse, quod non possit continenter operari.

RESPONDETUR. Missis aliorum responsionibus variis; negando ex eo tardius audiri sonum à remotioribus, quod species soni cessant ab operando. Explicationem autem, unde oritur illa successio, difficile reddunt hæc. Primò quia species secundæ, ut ita appellem, sphaeræ soni, sunt ejusdem rationis cum speciebus primæ, Ergo si in sphaera prima instantaneè producebantur, etiam in sphaera secunda instantaneè producentur. Si autem instantaneè producantur, cur tardius causant sui auditionem? Secundò quia in secunda sphaera audientes, æquè primò audiant, sive remotiores, sive propinquiores intra eandem sphaeram contenti. Ergo etiam in illa secunda sphaera tota, instantaneè produci debuerunt species. Tertiò si in prima sphaera per partes aliquotas, & non proportionales productæ sunt species soni, etiam in secunda sphaera, ita produci debent, unde ergo illa mora.

SUPPONO I. Dupliciter posse discurre de productione specierum audibilium; primò dicendo, sono producto, illum exemplo interire, & solas species, se se propagare. Secundò, sonum productum durare, eumque propagare species.

SUPPONO II. Posito quod dentur species soni, probabilius esse, quod ipse sonus producat sui species: Quia si ipsæ species producant alias species, non est ratio, cur alias species non producant, idque in instanti; non enim est major ratio de his, quàm de illis, si autem illas in instanti producant, causare deberet in instanti auditionem. Ergo per te falsum erit tardius percipi sonum, quàm ictum in secunda verbi gratia sphaera, cum utrumque æquè in instanti producat, & tamen oppositum docet experientia. Rursus, quando ostendi potest causa alicujus conservativa naturalis, ad eam potius recurri debet, quàm ut recurratur ad DEUM, cum ergo species soni indigeat causâ conservativa, & hæc referri possit in sonum, dicendum est, sonum species illas conservare, quod si illas poterit conserva-

re, poterit & causare. Deinde quando dubitatur, quæ sit causa alicujus effectus, si illius causa inveniri possit naturalis, potius illa assignanda est: Si autem indubium revocetur, an existat illa causa, signum à posteriori, & probatio illius existentia, erit causatio illius effectus. Quod si inter duas causas dubium sit à quânam ille effectus procedat, ab illa causa potius sentiendum est, illum effectum produci, à qua primò productus est, causas enim natura, cum potest, non multiplicat. Quod totum ad præsentem difficultatem applicando, dico potius in sonum revocari debere aliarum specierum productionem: quia primæ species ab illo primò productæ sunt, potestque esse signum à posteriori existentia illius, ipsa illa efficientia specierum, quæ si illi tribuatur, non multiplicabuntur causæ sine necessitate. Quia nec tribueretur vis succedentes species causandi, nisi lono, qui primò, etiam species audibiles produxit. Quod autem dicitur hic de productione specierum à sono, dici proportionaliter debet, quod lumen non propagetur ab alio lumine, sed à luminoso.

SUPPONO III. Posito quod sonus sit causa productiva, non tantum in prima sphaera, sed etiam in secunda specierum, non negandum est intervenire illic aliquem impulsus. Ratio quia quod sonus tormenti citius audiat, quàm sonus, qui ab ictu securis ligno impactæ editur, id commodius in aliud, quàm in impulsus referri non potest. Nam si in aliquid aliud referretur, referri posset in majorem activitatis sphaeram. Sed si quæras hujus ipsius causam, id commodissime in impulsus referri, esset. Rursus, si quis apponat auriculam tubo sursurante alio, sentiet leviter auriculam suam percuti; posita autem vociferatione sensibilibus afficietur, quod in congregatum non nisi impulsus soni referri potest. Denique videmus omnibus sonoris, impulsus adjungi; sic fragori tormentorum adjungitur impulsus, item fragori chordarum pulsatarum, &c.

SUPPONO IV. Cæteris paribus, & quantum est ex vi impulsus, in medio deberet esse sonus fortior, sed quantum est ex vi soni, ab initio est fortior, quod ipsa experientia à posteriori magistra docet, præcipue quia per nos sonus non est impulsus, licet sit aliquid conjunctum impulsui. Et sicut verbi gratia, si calor cum impulsu deferatur, aliundeque augeatur non sequetur, in medio debere esse illum vehementiorem, ita & in præsentem.

SUPPONO V. Fieri posse ut agens aliquod, producat aliquid instantaneè, quantumvis ex accidenti actioni illius sit adjuncta successio. Sicque verbi gratia, Sol instantaneè illumi-

illuminat, quia tamen successivè per cœlos movetur, non omnia simul illustrat, licet quod illustrat instantaneè illustret: Sic & sonus, quamvis, cum producit species, instantaneè illas producat, fieri potest ut ex accidenti, actioni illius, sit adjuncta successio. *Hic suppositis*

RATIO est. Cur non ita, esto in remotiori loco audiatur sonus: quia sonus, & ejus species, cum impulsu deferuntur, qui nonnisi successivè operatur. Et sicut sol, quamvis ubi illuminat, in instanti, ut dictum, illuminat; tamen illud spatium totum, sicut successivè percurritur, ita illuminatur: Sic & sonus & quia continuatè illud spatium percurrit, continuatè auditur. Rursus sicut sol in suo cursu aliquas partes luminis conservat & alias, de novo producit sic & sonus aliquas species conservat, aliquas producit.

Quod si non admittas ulla species soni, ita de ipso sono discutes, sicut de ejus speciebus.

INSTAT I. Arriaga. Licet sonus per motum localem deferatur, specierum tamen productio, non fit per motum localem, sed in instanti ipsius soni, cur ergo productis speciebus, tardius illæ veniunt ad aures magis distitorum?

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum: Cum lux solis producatur in instanti, cur tamen in instanti totus mundus non illuminatur? Dices quia non habet tantam sphaeram activitatis, dicam etiam sonum non habere, tantam sphaeram activitatis. Et sicut, quamvis alias nesciremus, solem, movendo se, illustrare mundum, ex hoc principio, quia non habet tantam sphaeram activitatis, & ex altero principio, quia successivè istam sphaeram, quam non impleverat luce sua, occupat, bene inferemus. Ergo sol successivè se movendo & propagando lucem, illuminat; sic ex similibus principiis, bene inferemus, successivè sonum ipsum applicatum esse remotioribus partibus.

INSTAT II. Idem. Motus localis soni, fuit in ordine ad primam productionem non specierum, etsi à motu hæc tota tarditas provenit, etiam vicini debuissent eum tardè audire.

RESPONDETUR. Vicini intra primam, ut ita dicant sphaeram, sphaeram constituti, æquè citò audient; vel si non æquè citò, id non erit notabile, nec discernibile.

INSTARI potest III. Supponamus, spatium primæ sphaeræ, in qua simul soni species, & visibilis objecti pervenerunt, esse tripalmarè, quando digito uno recedit sonus à termino à Quo, vel operatur in digito secundæ sphaeræ, vel non operatur, si non operatur, Ergo conce-

dis morulas in operando interceptas. Ergo ulterius ille audiens, qui responderet illi digito, nihil audiet; quia nihil operatur sonus tunc. Si autem operatur, Ergo non per species aliquotas operatur sonus, quia quantum recedit à Termino à Quo, tantum operatur in Termino ad Quem. Sed nonnisi successivè recedit, & non per partes aliquotas. Ergo nonnisi successivè; & non per partes aliquotas operatur in Termino ad Quem, contra quam toties suppositum est.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de illuminatione solis, qui etiam per partes aliquotas illuminat, & supponitur moveri, successivèque lucem producere, licet retorsio non teneat, in principiis morulas admittentium. Directè autem dici potest; quando digito uno, recedit somno à termino à Quo, operatur in digito Termini ad Quem, Cæterum successivè quidem impulsus operatur, sed ipse sonus non accommodat se conditioni impulsus in hoc, adeoque operari poterit, nonnisi in partibus aliquotis simul, ut dixi de lumine solis, cujus sparsio conjungitur, motui successivo solis, & tamen illuminatio fit in partibus aliquotis simul.

INSTABIS IV. Si impulsus est annexus sono, sequitur, quod posteriores illius partes, citius sint audiendæ, quam priores. Posteriores enim partes viciniore sunt, adeoque prius sui species causabunt; consequenter prius finem audiremus quam principium.

RESPONDETUR. Instantiam in omni sententia solvendam esse. In nostris principiis dici potest: Quod species illæ soni, vel partes ipsius soni, quamvis sint penetratæ, servant tamen inter se ordinem productionis soni proportionatum, ad eum modum, quo etiam species visibiles, quantumvis inter se penetratæ, servant tamen similem ordinem. Quare autem in Echo nonnisi ultimo syllabæ pronuntientur, id non ex eo est, quasi primo nonnisi finis, perveniat ad locum repercussionis. Quia si primo finis pervenit, cum Ly primo sit quid relativum, deberet posterius advenire principium, adeoque post finem principium audiri deberet. Nec idem in id rejici debet, quod sonus immediatè productus impedit auditionem Echo, quod non auditur nisi post transactum priorem sonum. Quia saltem remotiores non impeditentur ab illo percipiendo, ad eum modum, quo interdum duorum canentium, nonnisi unusquisque se audit, cum remotiores sonum utriusque percipiant. Potius ergo ratio est per quam restauratur doctrina Suarii. Quia scilicet eo ipso tempore, quo reflecti deberet sonus prioris syllabæ supervenit ei alius sonus, qui impedit ne refringatur, ad eum modum, quo si duæ pilæ allidantur, casu quo

prior refringi deberet superveniat alia; impediret refusionem prioris, ita & posteriores panes impediunt, ne priores refringantur, adeoque ne edant Echo. Sed hæc ratio, habet adhuc has difficultates.

Primam. Sit trisyllaba dictio, prior prius allidatur. Ergo audiri debet. Dici potest, prior prius allidatur. Ergo audiri debet. Dici potest prior allidatur, sed non refringitur ad corpus illud, & tamen refraçtio facit Echo.

Secundam. Aër sequens syllabam, quæ reflectitur, non impedit quominus refringatur illa syllabas. Ergo nec sequentes primam syllabam, impediunt illius refractionem. Dici enim potest majorem esse resistentiam & impressionem à sono sequentium syllabarum primam, quàm ab aère; quod ipsum, à posteriori, hæc, ipsa experientia docet.

Tertiam. Cur primæ syllabæ sonus, non se potest refringere ad latus pergendo, & causare sonum? dici potest, quod sonus allisus exemplo esset, nec ad latera pergat.

INSTABIS V. Quando exploditur bombardæ, ii qui plus quam in mediò sunt audiunt tardius sonum, quàm videant factam explosionem, cujus ratio reddi non potest in nostris principiis.

RESPONDETUR. Falsum esse quòd etiam vicini explosioni, non advertant successione frangoris ipsi ignitioni. Directè autem ratio est, quia defertur sonus medio impulsu, qui successivè operatur.

OBJICIT III. Arriaga. Lapis gravis supra asserem gravitans, non statim frangit asserem. Ergo non agit à primo statim instanti continenter in illum.

RESPONDETUR. Quia successivè superantur vires resistitivæ ipsius asseris, ideo ille successivè frangitur, licet non interceptis morulis.

INSTAT. Si continuò ille lapis impulsus imprimeret ligno, posito v. gr. quòd non nisi per tres annos frangeretur lignum, deberet ille impulsus esse infinitus.

RESPONDEBUNT Peripathetici. Sicut tempus componitur ex partibus finitis in infinitum, ita & partes illius impulsus erunt finitæ in infinitum.

Punctum Difficultatis 4.

Quid sit sentiendum de augmentatione accidentali.

ASSERO I. *Augmentationem accidentalem non interrumpi morulis.*

RATIO. Quia nec illis interruptitur augmentatio substantialis.

ASSERO II. *Augmentationem earum qualitatum quæ habent contrarium, non esse continuam.*

RATIO. Quia obfistentia oppositorum, prohibet continuationem. Cæterum quando producit qualitas, quæ non habet contrarium ex accidenti fieri posse, ut non sit augmentatio illius continua.

RATIO. Quia fieri potest quod augmentans successivè, non nisi applicetur, ut videre est in sole, sono, & aliis.

ASSERO III. *Universaliter loquendo non esse necessarium quod qualitates quæcunque per partes aliquotas producantur ex vi præcisè qualitatum.*

RATIO. Quia principale fundamentum asserendi aliqua per partes aliquotas produci, est, quia determinat sibi certum aliquod minimum naturale, ut dictum est de Inductione formas substantialis Videntis. Jam autem non est necesse, ut omnes qualitates certum sibi minimum determinent, nisi fortè sit minimum quantitatis; quod ipsum probatur: quia tota illa determinatio oritur ex exigentia certorum organorum, quæ organa non exiguntur à qualitatibus.

ASSERO IV. *Notam, ex qua colligi debet, aliquam qualitas producat per partes aliquotas, petendam esse non nisi à posteriori, si scilicet in aliqua certa distantia æque efficiat remotiores ac proximiores partes.*

ASSERO V. *Si nomine partium aliquotarum, intelligas, non plura aliquam minimam quantitatis, sed non nisi unum minimum, in isto sensu, quodcunque agens Materiale, agit per partes aliquotas.*

RATIO. Quia non potest agere minus quàm in minimo quantitatis, non enim potest agere in id, quod quantum non est.

DICES I. Augmentatio, prout importat inductionem formæ substantialis, non est continua. Ergo nec ulla productio formarum accidentalium, poterit esse continua, ut supponebatur Asserto secundo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia inductio formæ substantialis supponit dispositiones, quæ quia habent contrarium, non statim possunt induci. Jam autem formæ accidentales, non est necesse ut supponant alias dispositiones, & possunt non habere contrarium.

DICES II. Supponamus, calorem produci unicà hora; quæro, vel singulis illius instantibus productus est calor, vel non. Si singulis instan-

instantibus, Ergo divisibile produci poterit in instanti. Rursus, si singulis instantibus productus est calor, Ergo erit infinitus, cum instantia in una hora sint infinita. Si autem non est productus singulis instantibus calor, Ergo in illius productione interceptæ sunt morulae, quod negatur.

RESPONDETUR. Non debere supponi, quod hora constituatur, ex instantibus infinitis; sed quidquid sit de hoc, potest dici non in singulis instantibus produci calorem, ob resistantiam passivam. Illud etiam, quod divisibile, instantaneo produci non possit, habet difficultatem, quia lux habet partes, & tamen per omnes instantaneè producit.

DICES III. Cum Oviedo hic, controversia sexta, puncto 4. numero 22. Posito quod agens per partes aliquotas agit, nullo modo augmentatio accidentaliter potest esse continua, & supponit, quod agens æqualem intensiorem producat in palmo, non prius agit in dimidia priori parte palmi, quam in posteriori, hoc enim ipsum notat ratio agendi per partes aliquotas. Quo supposito, format argumentum. Agens non extendit suam qualitatem per partes proportionales, sed per aliquotas. Ergo si in singulis partibus proportionalibus infinitis, extenderet suam æqualitatem, in singulis illam extenderet per partes aliquotas. Sed partes proportionales sunt infinitae. Ergo extensio qualitatis fit per partes infinitas aliquotas subiecti. Ergo infinite extenditur.

RESPONDETUR. Hoc argumentum in principiis continuum non ex partibus proportionalibus componente est nullum. Quanquam & hoc supposito non convincit; distingui enim potest consequens. Ergo si in singulis partibus proportionalibus, arithmetice & connumerative extendatur qualitas, sequeretur infinitudo, transeat; transeat inquam, quia nec ipsæ partes proportionales, ponuntur infinitæ actu. Si in singulis partibus proportionalibus, extendat agens qualitatem, hoc sensu, quod scilicet nihil sit, quod illa qualitate affectum non sit, sequeretur infinitudo. Nego propositionem. Addo, argumentum multum probare; quia probaret nec per partes proportionales posse produci qualitatem, cum in illis infinitudinem supponat arguens.

Punctum Difficultatis 5.

Quis terminus magnitudinis & parvitas in non viventibus.

RESERVO I. Magnitudinis nullum esse terminum in non viventibus.

RATIO. Quia non est ratio, cur sine ullo interventu miraculi, non possit magis & magis augeri ignis. Cum adstipuletur experientia, magis & magis illum augeri; experimur autem oppositorum in viventibus.

DICES. Ignis aliaque corpora non viventia exigunt determinatam intensiorem accidentium. Ergo & exigunt determinatam extensionem, ultra quam crescere non possint.

RESPONDETUR I. Quia quando censetur communiter, stare intensiorem in octo gradibus per Ly octo, non intelliguntur certæ aliquæ numerabiles partes, sed intelligitur intensio tanta, quanta capax est subiectum. Quod si nomine intensiorem ut octo intelligitur tota intensio, quanta capax est subiectum, intelligitur tanta, quam major dari non possit; hoc ipso enim non esset tanta, quantum subiectum habere potest. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia datur tamen intensio, quanta major dari non potest, & si daretur major, hoc ipso non esset prior illa tanta, quanta dari potest. Ergo etiam dabitur & summa extensio non viventium, quanta major dari non potest.

RESPONDET II. Arriaga, & recentior Suarez: Quia scilicet intensio recipitur in eadem parte subiecti, quæ habet determinatam capacitatem; extensio autem non recipitur in eadem parte, sed fit cum continuatione partium cum partibus, & nulli repugnat ulterius continuari. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia redit argumentum. Intensio recepta in eadem parte subiecti ultra nominatos gradus, non potest esse major, & subiectum non est capax ulteriorum graduum, & ultimus gradus, quamvis continuatur cum antecedentibus, non potest ulterius continuari cum subsequenibus. Ergo etiam extensio, quæ fit in diversis partibus ultra determinatas partes, non potest esse major, & totum quodcumque non est capax ulteriorum partium; & ultima pars, quantumvis continuatur antecedentibus, non potest ulterius continuari, cum subsequenibus.

Nihilominus hæc disparitas, sic defendi potest: Materia est ejus naturæ, ut quamvis successive in infinitum, alias & alias recipere formas possit, tamen simul, substantiales quidem præsertim totales, nullas admittit formas: nullas item accidentales, quæ habent idem officium, & illo numero differunt. Quod tamen attinet ad illas, quæ diversum habent officium, quamvis plures admittere possit, tamen illa determinat sibi in certa magnitudine, ut experientia ostendit.

dit. Jam autem in magnitudine, hæc ratio non militat, quia magnitudinis tota ratio, pendet à quantitate; quantitas rursus petit materiam, & quia materiæ non habent inter se repugnantiam, quominus uniantur, sit ut magnitudo semper & semper crescere possit. Pro qua fiat parte, etiam experientia.

ASSERO II. *In sententia componente quantitatem ex minimis, determinat sibi etiam non viventia, minimum parvitas.*

RATIO. Quia illa debent habere formam, quæ supponat quantitatem, quantitas autem per nos in minori, quàm sit minimum haberi non potest.

ASSERO III. *In sententia quæ tenet requiri determinatum minimum materia requisitum ad receptionem formæ, tunc si illud minimum sit requisitum ad connaturaliter recipiendam illam formam, illa forma nec Divinitas quidem potest esse in minori.*

RATIO. Quia tunc quod naturaliter fieri non potest, potest fieri Divinitas, ejus concursus Divinitus suppleri potest. Suppono autem materiæ concursus, in eodem genere, suppleri non posse.

DICES. Hæc sententia de minimis est propè Renonistica.

RESPONDETUR. Sententiam de minimis non esse propè Renonisticam, assensum est in physicis Disput. 10. n. 184. & 112. pridem Impressis.

QUÆRES quid sit sentiendum de termino magnitudinis vel parvitas viventium.

ASSERO I. *Dari terminum magnitudinis viventium.* Hoc probat experientia. Nullus enim equus crevit in elephantem nec elephas in turrin, calorque ipse naturalis, qui ratione paulatim deficit, facit ne ulterius & ulterius augmentare possit.

ASSERO II. *Dari terminum parvitas viventium, qui appellari solet minimum parvitas, ad compositionem viventis requisitum.*

RATIO. Quia vivens ad operationes suas, requirit certam organorum dispositionem, adeoque certam quantitatem.

ASSERO III. *Minimum illud ad compositionem viventis requisitum, debet habere plura minima quantitatis, auctori naturæ nota.*

RATIO. Quia si requirit vivens plura organa, & unum organum non sit aliud, non possunt illa plura organa, esse uno v. gr. minimo quantitatis contenta.

De Specie augmentationis per Rarefactionem.

Species aliqua augmentationis, Rarefactio est. *De qua in presenti.*

PRÆMITTO I. *Quid sit Rarefactio.* Aristoteles 4. Physicorum textu 84. innuit, quod rarefactio sit id, quod sub magnis dimensionibus, parum habet materiæ. Densum verò est id, quod sub parvis dimensionibus, multum habet materiæ.

PRÆMITTO II. *In presenti maximam esse difficultatem de modo, quo sit rarefactio in qua difficultate, tres sunt potissimum sententiæ: Prima rarefactionem fieri, eò, quod res accipiat majorem quantitatem. Ita Scotus in 4. distinct. 11. questione 4. Secunda sententia est, quod rarefactio fiat per intromissionem corpusculorum: hanc sententiam tenet Arriaga, Oviedo, recentior Suarez. Pontius autem utramque conjungit disputatione 55. numero 30. Tertia sententia est, quod rarefactio fiat per qualitatem quandam productam, per quam determinatur corpus Quantum, idem omnino, ad occupationem majoris spatii. Eam sententiam tenet Suarez, Hurtadus & alii.*

PRÆMITTO III. *Ad quid debeat attendi in presenti difficultate, & in quo sit punctus illius.* Certum est, quod in rarefactione occupetur majus spatium quàm ante, & in condensatione minus. Si ergo majus spatium occupatur quàm ante, attendendum erit quid fiat, quod una eademque pars, non fiat pluri locata, & cum ante rarefactionem minus spatium occupavit, attendendum erit, qui fiat, quod minus spatii occupando, partes aliquæ non fuerint secum penetratæ, quæ tamen penetratio in rebus quantis, non datur.

Punctum Difficultatis I.

An Rarefactio perficiatur additione novæ quantitatis.

DICENDUM est. *Rarefactionem non debere referri in quantitatem.*

PROBATUR I. Quia illa quantitas, vel eandem materiæ partem, quam jam invenit alia quantitate informatam, extenderet, vel illam partem materiæ extenderet, quæ supponitur nondum extensa. Vel eam partem materiæ, quæ tunc produceretur, vel nullam; nihil horum dici potest. Ergo nec rarefactio referri debet in quantitatem. Minor probatur, quod ad primam partem. Quia illæ duæ quantitates, vel essent ejusdem, vel diversæ rationis. Non ejus.

eiusdem, quia si duæ qualitates eiusdem rationis, non habentur connaturaliter in subiecto eodem, nec haberi poterunt duæ quantitates. Si autem diversæ rationis, ex qua ratione, non petente principium, vel ex qua experientia id constat? Explica item quid non bilocentur tunc partes materiæ, cum eadem sit materiæ, & non plures entitativæ ejus partes. Quod argumentum urget, quantumvis dicatur expelli antiqua quantitas, & induci nova. Et si quantitati, ut communiter docetur, nihil est contrarium, quare deberet expelli præterita quantitas, ex qua etiam expulsiōne, daretur resolutio usque ad materiam primam, cum subiectum immediatum accidentium sit quantitas. Non etiam dici potest, rarefactionem fieri ratione quantitatis, quæ extendat partes materiæ ante in extensas, quia alias darentur partes materiæ, idque naturaliter sine quantitate, quod omnes negant. Nec est ratio, cur illæ etiam partes, non emanarent quantitatē. Denique antequam causa rarefactiva agat, supponit jam subiectum quantum, non enim agens materiale in subiectum indivisibile & inextensum agere potest. Ergo non dantur partes materiæ, quæ antea supponantur non extensæ. Non etiam dici potest, rarefactionem fieri ratione quantitatis, quæ informet eas partes materiæ, quæ tunc producuntur. Ratio quia vel tunc producerentur illæ alie materiæ partes, vel jam productæ intromitterentur: Neutrum dici potest. Non primum, quia deberet tunc materia creati, non enim alia ratione produci potest. Non etiam adderentur tunc partes materiæ, jam in ante productæ, quia hæc sententia coincideret, cum intromissione corpusculorum, de quibus infra.

PROBATUR 2. Una quantitas non est magis quanta, quam alia quantitas. Ergo si præcedens quantitas plus non potest extendere, nec poterit, ad majorem locum partes materiæ, etiam adveniens extendere: Sicut quia forma substantialis una, non est magis substantialis quam alia, non potest fieri, ut magis informet quam alia.

PROBATUR 3. Quia hæc explicatio, non satisfacit principali puncto: Si enim quæram qui rarefiat aliquid? respondebitur, quia acquirit novam quantitatē. Quæro ulterius, qui fiat ut illa quantitas, non faciat bilocari aliquas partes materiæ? vel si non est bilocatio, quid salvabitur quod ante illam rarefactionem, non fuerit penetratio?

OBJICIT 1. Pontius. Nunquam aliquid videmus rarefieri, absque occupatione majoris loci, neque condensari absque occupatione minoris spatii, sed evidens est, absque acquisitione majoris quantitatis, & extensionis quantitativæ, non posse occupari majorem locum, neque minorem, absque deperditione quantitatis. Ergo.

RESPONDETUR. In sententia Pontii, te-

nentis quantitatem constare partibus in infinitum divisibilibus, sequitur unum granum papaveris, totum posse tegere cælorum orbem, & ultra uo casu, licet v. g. quoad dimensionem profunditatis, minus spatii occupet, tamen quoad reliquas assignabiles, longi & lati dimensiones, plures spatii partes occupat, idque absque acquisitione novæ quantitatis; Cur idem in præsentī fieri non poterit? quod enim est in illa divisione negatio profunditatis, hoc in præsentī est negatio spissitudinis &c. Vicijus instantiæ ad minorem responderi posset, quod absque acquisitione quantitatis, non posset occupari major locus, si nulla sit differentia in modo & ratione occupandi majorem & minorem locum, concedo minorem, si sit aliqua differentia, in ratione occupandi, nego minorem. Hæc autem differentia in præsentī, in hoc erit, quod olim spissius occupavit, nunc cum negatione spissitudinis. Aliiter etiam difficultati satisficit. Evidens est absque acquisitione majoris quantitatis, vel modi quantitatem illam efficientis, non posse occupari majorem locum, concedo minorem; Sine acquisitione simpliciter non nisi quantitatis, non posse majorem locum occupari. Nego minorem.

INSTABIS. Extensio in ordine ad locum fit à quantitate, Ergo & extensio ad majorem locum, erit à majori quantitate.

RESPONDETUR. Antecedens est falsum universaliter, quia res spirituales occupant locum, ut illi se coextendunt, & tamen illis non competit quantitas. Quod si dicas competere illis quantitatem virtualem, dicam etiam, competere virtualem quantitatem qualitati, quæ habetur in Rarefactione, de qua infra. Illatio etiam hoc sensu admittitur, quod major extensio, competat vel à minori simpliciter quantitate vel à majori secundum modum, quo superaddito, plus spatii occupatur, non recurrendo ad quantitatem non nisi novam.

OBJICIT 2. idem. Secundum omnes, in Rarefactione extenditur corpus rarefactum, in ordine ad locum ergo acquirit novam quantitatem: quia non potest dari effectus formalis novus, sine causa formali nova; extensio autem in ordine ad locum, est effectus formalis quantitatis.

RESPONDETUR potest 1. Quod, sicut vidimus in Physicis, extensio est duplex. Alia quidem partium in ordine ad se, alia in ordine ad locum. Ita duplex potest cogitari extensio rarefactiva, in ordine ad se, & in ordine ad locum; & quod miraculose rarefieri posset corpus, sine ulla ad locum extensione; quod certe posita etiam sententiæ veritate, de Rarefactione quod fiat per intromissionem corpusculorum, adhuc vim habet; quia etiam in ista sententia, posset nondum fieri extensio in ordine ad locum, ut simile quid apparet in Eucharistia: ubi Christi Corpus caret extensione locali. Non ergo ratio formalis rarefactionis.

ræfactionis erit extensio in ordine ad locum, ut supponit objectio, & si nonnisi pro statu connaturali, vi rarefactionis, debet major sequi extensio in ordine ad locum: hoc ipsum probabit maiorem hanc extensionem, non esse de ratione constitutiva rarefactionis, quia ubique deberet reperiri, ubi reperitur rarefactio, non etiam potest recurri, ad solam aptitudinem illius maioris occupationis loci, hoc enim in materia de quantitate impugnatur.

RESPONDERI potest 2. Duplicem esse effectum formalem quantitatis. Unum quidem primariū, qui est extensio in ordine ad se, & alium secundariū, qui est extensio in ordine ad locum. Quod si extensio in ordine ad locum est secundarius effectus quantitatis, bene ab aliis principiis haberi poterit, tam Divinitus, quia id non repugnat; quā à principiis naturalibus, non est enim ratio, cur à pluribus principiis naturalibus, idem effectus secundarius proficisci non possit. Sic à pluribus herbis primarias Virtutes habentibus, idem potest promanare effectus secundarius, calefactio item sit à tot diversis principiis &c. Porro si ab alio principio proficisci posset extensio in ordine ad locum, quā à quantitate, non est infallibile signum ut ex extensione majori ad locum, arguatur major quantitas.

RESPONDERI potest 3. Quod sufficiat tunc acquiri novum modum Quantitatis, licet non acquiratur nova Quantitas.

INSTAT 1. Sequitur ex dictis; posse dici quod corpus valde extensum, non habeat maiorem quantitatem, quā corpus parvum, quia non habetur principium id colligendi, nisi quia magnum corpus, magnam habet extensionem localem.

RESPONDETUR 1. Secundum instantiam alias allatam, potest per non paucos Divinitus spoliari paries omni quantitate, & occupare eundem locum, & tamen stat argumentum quod ex maiori occupatione loci, major arguatur quantitas. Ita dicitur secluso miraculo, vel modo quantitatis noviter superaddito, bene concludi, ex maiori occupatione spatii, maiorem quantitatem. Rursum si ex maiori occupatione spatii, quali majoritate, recte colligitur major quantitas, sequitur granum in plures partes divisum, & secundum has dimensiones majus spatium occupans, acquirere secundum illas dimensiones, novam quantitatem.

RESPONDETUR 2. Distinguendo antecedens. Scilicet, non posse dici, quod corpus magis extensum, non habeat maiorem quantitatem, quā corpus parvum. Si sit extensum tam in ordine ad se, quā in ordine ad locum, concedo antecedens. Si sit magis extensum nonnisi in ordine ad locum, nego antecedens. Quod si quæras unde ulterius colligi possit major extensio in ordine ad se, responderi potest,

Si secludantur miracula, applicatio agentis Rarefactivi &c. Similia, recte id colligi posse, ex maiori extensione in ordine ad locum.

INSTAT 2. Per nos dicitur esse extensio major quantitatis, post Rarefactionem, quā ante. Ergo etiam cum quantitas correspondeat spatio majori, debet dici major.

RESPONDETUR. Illam quantitatem esse maiorem non simpliciter, adeoque non ex productione novæ entitatis, quæ sit quantitas, sed maiorem quoad modum, qui modus ab alio haberi debet, & non à quantitate.

INSTAT 3. Eadem quantitas non potest aliquid habere modum, quo mediante sit in pluribus locis simul, vi autem modi illius, esset in pluribus locis: nempe in illo, quem ante Rarefactionem occupabat, & in alio, quem occupat post Rarefactionem.

RESPONDETUR. Id solvendum esse per explicationem nostræ sententiæ, de qua infra.

OBJICIT 3. Posito quod nova quantitas non acquiratur, & quod non intromittantur corpuscula, sequitur quantitatem esse penetrabilem, quod est absurdum. Sequela probatur, quia si manus affecta quantitate, esset in eodem loco naturaliter, cum alia manu quanta, sine dubio esset illic penetratio. Idem hic est; quia medietas v. g. Rarefacti lactis, ad duplum spatii, occupabat ante non duplum spatium.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Instantia de manibus non tenet, non enim est in illis manibus, in quid referri posset occupatio ejusdem spatii, nisi in penetrationem. Jam autem occupatio, quæ fit in Rarefactione, refertur in condensationem, de qua infra.

OBJICITUR 4. Auctoritas Aristotelis, qui rarum definit quod habet multum quantitatis & parum materiæ. Ergo ab eo formaliter loquendo habetur esse Rari, à quo habetur formaliter multum quantitatis sub parva materia.

RESPONDETUR. Nomine quantitatis accipi ab Aristotele non quantitatem pressè, sed ita ut & ad modum quendam, & proportionatum quid cum quantitate, referri possit, quamquam Aristoteles utitur termino non *Ly multum quantitatis*, sed sub magis dimensionibus; dimensio autem, potest servire etiam non quantis rigorose, nempe iis quibus rigorose servit, nonnisi tantum non tantum. *Ly autem* tantum non tantum, potest explicare, etiam locabilitatem Angelicam, quæ non est quanta proprie.

INSTABIS. Aristoteles cap. de qualitate, negat quod raritas & densitas sint qualitates.

RESPONDETUR. Aristotelem illo loco ex professo non tractare, quid sit raritas, sed accipere eam secundum estimationem magis vulgarem, adeoque secundum maiorem extensionem localem, quæ vulgariter ad quantitatem refertur; quamvis ab alio principio, quā à quantitate proficisci possit.

Objici-

OBJICITUR 5. In intensione accedit nova qualitas. Ergo & in Rarefactione nova quantitas.

RESPONDETUR. Negando Consequen-
tiam. Disparitas quia nullum est absurdum, ut
in eadem parte materiæ plures qualitates gradus
recipiantur, imò hoc est de definitione intensio-
nis, est autem absurdum si in eadem parte ma-
teriæ, plures quantitates recipiantur.

Punctum Difficultatis 2.

*An Rarefactio fiat per intromissionem
Corpusculorum.*

NON est difficultas de Rarefactione, aut
Condensatione impropria, nam certum
est Rarefactionem impropriam, & vulgarem
fieri per intromissionem corpusculorum, nam
bullæ illæ ferventis aquæ, mistum habent mul-
tum ex tenuiori aëre, bullæ enim illæ, non sunt
ab similes bullis, quas pueri ex fistulis exsufflant,
quæ nihil aliud sunt nisi aër inclusus, quæ Rare-
factio est impropria, quia propria, etiam per op-
positos, importat dissolutionem partium perce-
ptibilem, earumque divisionem, cum tamen
tunc, non sit dissolutio partium. Ratio autem
est, cur interdum Rarefactioni, conjuncta sit in-
tromissio corpusculorum, quia cum rei Rarefa-
ciendæ, indister aër, illo alterato, sit mistum
utriusque. Si item corpus Rarefaciendum, sit
plenum exhalationibus, vel vaporibus, illi non-
nisi ad præsentiam calidi Rarefactivi emergunt,
& rarefacto corpori commisceri possunt. Sed
agendo de Rarefactione rigorosa.

DICENDUM est. *Rarefactionem rigorosam
non fieri per intromissionem corpusculorum; nec
condensationem per eorumdem extramissionem.*

PROBATUR 1. ex definitione. Si formaliter
Rarefactio fieret per intromissionem corpuscu-
lorum, & esset illa Rarefactio, & non esset:
Esset ut supponitur, non esset autem ut probo;
quia non esset in illo raro, parum materiæ sub
magnis dimensionibus, quod ipsum probatur.
Ponatur lebes A, plenus oleo, ponatur alius
æqualis lebes B, nonnisi medietatem olei ha-
bens, rarefiat lebes B, usque ad orificium, eo ca-
su intrabunt tot corpuscula, quot sunt necessaria
ad implendum spatium æquale, quod impletur
ab oleo in lebe A. Ergo nec erit illic parum
materiæ, sed ratione corpusculorum, erit tan-
tum materiæ in lebe B, quantum est in lebe-
te A.

RESPONDEBIS ex Pontio. In Rarefactione
ideo dici esse parum materiæ, quia non accedit
aliqua pars nova & substantialis, quæ sit substan-
tia corporis rarefacti; nec accedunt eo modo
illa corpuscula, quomodo sit augmentatio sub-
stantialis, quæ sit per accessum substantiæ, quæ

ipsa substantia, ejusdem rationis evadat cum
substantia antecedente.

CONTRA 1. Quia vel ratione ejusdem, dici-
tur habere corpus rarefactum parum materiæ,
& multas dimensiones, vel non ratione ejusdem.
Siratione ejusdem. Ergo nulla tua est respon-
sio, nam tu parvitatem materiæ refers ad corpus
rarefactum, & magnas dimensiones, tam ad
corpus Rarefactum, quàm ad corpuscula intro
recepta. Quod si non ratione ejusdem dicitur
corpus Rarefactum habere parum materiæ, &
magnas dimensiones. Ergo non corpus Rare-
factum debet dici occupare majus spatium;
nam illud corpus ratione sui non plus occupat
spatii, quàm ante, ut dicis.

Neque valet si dicas quòd non sola corpuscu-
la, nec solum corpus rarefactum, sed utrum-
que occupet plus spatii; non inquam valet si di-
cas, nam sicut cum dicimus Petrus plus bibit
quàm ante, hæc propositio verificari non potest
rigorose, si nonnisi bibendo cum alio plus hau-
riat, ita nec in præsentia, simile quid dicen-
dum.

Neque ulterius valet si dicas. Ex corpuscu-
lis & oleo fieri unum quid, hoc enim est falsum,
nam revera intervenit illic distinctio realis, re-
vera non habent eandem substantiam, & se ha-
bent sicut vas aquâ plenum, quod ratione aquæ
non dicitur rarefieri, quod enim aqua non sit
corpus tenue, & quod ab igne non introducat
quid obstat, si eundem effectum præstat, quem
præstant corpuscula.

CONTRA 2. Quia ex hac responsione sequi-
tur, nullum corpus Rarefieri; quod probatur.
Non rarefit oleum in sua substantia, quia idem
spatium occupat, & habendo eandem mate-
riam propriam suam quàm ante, easdem dimen-
siones habet quas ante, & dimensio quæ sit ra-
tione corpusculorum, non est dimensio olei, sed
dimensio corpusculorum. Rursus non Rare-
fiunt corpuscula, quia hæc etiam easdem di-
mensiones habent, & tantundem materiæ ut
ante, non etiam utrumque ex conjunctione;
quia oleum si infundatur alteri oleo, non dicitur
rarefieri, quia neutra medietas illius olei, dici-
tur parum habere materiæ, sub magnis dimen-
sionibus. Neque valet si dicas, ideo mistio-
nem illam deficere à ratione raritatis, quia non
fit à calore, non inquam valet si dicas, quia hæc
inquiritur de ratione ultimo differentiali rarita-
tis, quam tu non adfers, sed recurris ad agens,
quod non est ratio ultimo differentialis.

CONTRA 3. Quia hæc responsio, sicut &
tota doctrina recedit omnino à definitione, est
enim in hoc difficultas: Qui fiat, ut parum ma-
teriæ cum habuerit parvas ante dimensiones, ac-
quirat illudmet ipsum parum materiæ, acquirat
inquam magnas dimensiones, & hæc fuit mens
Philosophi, qui quarto Physicorum textu 84.
idemmet inquit rarum & densum & una materia
utriusque,

utriusque, non est autem una materia utriusque si parvæ dimensiones & magnæ, in eodem subiecto, in eadem materia non subiectentur. Et certe sub termino *parum materie* illud intelligitur, quod etiam intelligitur sub termino *multum materie* per quem definitur condensatio, sed sub termino multum materie, non intelligitur nisi ipsa materia densata, aliàs si & illic ponis corpuscula, ponis in denso Rarefactionem, in quæ refertur tu eandem. Quod si sub termino multum materie, intelligitur ipsum densatum, & non aliquid adveniens densato, etiam sub *Ly parum materie*, sub magnis dimensionibus, intelligitur ipsum corpus, & non aliquid ipsi adveniens.

PROBATUR 1. Applicetur cucurbita invisæ carni, intra illam continetur aer calore Rarefactus, qui postea condensatur, & in locum illius, succedit sanguis, quæ tractio sequi non deberet, si condensatio fit corpusculorum extramissione ab aere. Quod ipsum probatur, vel possunt occupare illud spatium corpuscula extramissa, quod antea occupabant, dum immissa erant aëri rarefacto, vel non possunt. Si non possunt. Ergo nec aere rarefacto, illa occupatio tantum spatii referri poterat in aërem & corpuscula, quid enim est plus corpusculorum & aëris in Rarefactione, quod non sit post Rarefactionem. Si ergo post rarefactionem, utrumque illud tantum spatium non occupat, debuit illa occupatio spatii in aliud principium tertium referri. Si autem possunt occupare tantum spatium, illa corpuscula & aer, transacta rarefactione, quantum occupabant spatium, in rarefactione, Ergo non est ratio cur sanguis succedat, succedere enim deberet ad occupandum spatium, quod ab aere rarefacto occupabatur, & transacta rarefactione non occupabatur.

RESPONDETUR 1. Exspirare illa corpuscula, & in locum exspirantium succedere sanguinem.

CONTRA. Si enim exspirant, ergo etiam aer per eosdem poros intrare poterit, per quos exeunt corpuscula, adeoque non erit necesse, sanguinem cum violentia trahi.

RESPONDETUR 2. Corpuscula illa carnem intrare.

CONTRA. Si enim corpuscula carnem intrant illis intrantibus, succedunt alia corpuscula, adeoque deberet incipere periculum vacui, à partibus superioribus cucurbitæ, quid autem implet, ne illic sit vacuum. Rursus experientia ostendit, periculum vacui, incipere ab ea parte cucurbitæ, quæ adhæret carni, & si corpuscula illa intrant cutem, non esset ratio cur ad impediendum vacuum, potius sanguis succedat quàm redeant corpuscula. Denique non est probabile, quod corpuscula illa introeant coccinellam cutem, quia cum introitum illum consequitur periculum vacui, quod sequi non potest, nisi

ex causa violenta, non potest autem ostendi, ex qua causa, violenta intrare deberent corpuscula cutem, & cur illa potius non retineat natura, ne detur periculum vacui, curque illa expelleret, & se in periculum vacui conjiceret.

RESPONDET 3. Arriaga, attolli cutem (idem dic de sanguine attracto) non ob periculum vacui, quia si caro elevaretur ad replendum vacuum, elevaretur in instanti, natura enim nec per unicum instans patitur vacuum, aut cucurbita frangeretur, & tamen non statim attollitur caro. Itaque non nisi ideo elevarur caro, quia per calorem aperti sunt pori, & per illos intromittitur aer paulatim, & calor ascendit ad replendum locum relictum ab aere.

CONTRA. Tum quia si aer ingreditur poros carnis, redeunt argumenta in simili facta. Tum quia dum negat hæc responsio, fieri elevationem carnis, propter vitandum vacuum, tandem concludit illam fieri propter vitandum vacuum, cum ait carnem ascendere ad replendum locum, relictum ab aere, quod idem est, ac dicere, attolli carnem, ut succedat in locum aëris, ne detur vacuum. Tum quia Ratio quæ probat, attractionem istam cutis, non fieri propter periculum vacui, non concludit, quod enim dicit, debere illam actum in instanti attolli, non convincit, nam quod non statim attollatur, rejici id debet in id, quia aer rarefactus, non statim illam raritatem amittit. Item in duritiem carnis, defectumque subtilitatis unde prius Spiritus, & alia similia extrahuntur, & non statim attollitur tota cutis.

CONFIRMATUR conclusio. Si rarefactio perficitur intromissione corpusculorum, sequitur medietate sui rarefactum lac, hoc est, quod ante mediam ollam occupabat, & nunc occupat totam; non esse æquè dulce ac ante fuit, cum ei medietas sit admixta non dulcium corpusculorum.

PROBATUR 3. Quia ex hac sententia sequitur, esse impossibile naturaliter rarefieri unum corpus, quin densetur aliud, & è contra. Sequela probatur, quia quando rarefit corpus, debent è viciniore corpore exire corpuscula, ad rarefacibile rarefaciendum. Ergo illud vicinum corpus debet densari. Rursus densato uno corpore deberent ex alio exire corpuscula, & intromitti in corpus vicinum. Ergo illud vicinum corpus, illo casu deberet rarefieri, quod tamen sensus communis Doctorum negat, non poteritque ostendi causa efficiens illius rarefactionis. Si autem illud tertium corpus, emittit ex se corpuscula, minus occupat spatium. Ergo quantum corpus debet emitte ex se corpuscula, & sic per totum mundum uno rarefacto reliqua & densari, & rarefieri deberent, aut aliud quid simile contingere.

RESPONDETUR. Cum Pontio corpuscula rarefa.

rarefactiva non extrahi à viciniore corpore, sed rarefactione generari.

CONTRA. Si enim causant rarefactionem, quomodo à rarefactione generantur, cumque non generentur de novo per additionem materiæ novam, quæ rarefactura subintrant corpus, quin aliud densetur?

Solet idem intentum probari ex eo, quod deberent in infinitum fieri separatio per illa corpuscula corporis rarefacti. Sed hoc argumentum non convincit, quia patitur instantiam, quamvis rarefactio in aliqua qualitate constituitur.

Solvuntur Objectiones.

OBJECIT 1. Arriaga. Ex communi apprehensione. Condensatio videtur dicere majorem partium unionem.

RESPONDETUR. Concedendo assumptum, sed nego id referri debere in expulsionem corpusculorum; & certè exceptis sectatoribus sententiæ Arriaga, nemo dicit de nato oleo exiisse corpuscula tenuissima.

INSTAT 1. ab experientia. Quando enim aqua calore bullit, habet quasdam bullas aëre plenas, & quo magis bullit, eo sunt majores, illas autem bullas sensus manifestè percipit, & illa interiorius habent aërem. Ergo ea raritas aquæ, sit per intromissionem aëris in aquam.

RESPONSUM supra. Rarefactioni misceri interdum intromissionem corpusculorum, sed nego misceri temper, nego item unquam in hoc stare formalem rarefactionem.

INSTAT 2. idem. Caro humana est rara propter poros, & vitrum dicitur densum, quia poros non habet, & ordinariè quicunque auctores cum non agunt de raritate, ponunt in omnibus rebus poros, etiam in ferro, quando autem venit ad præsentem Materiam, negant eosdem. Rursus quis neget pauciores esse poros in aqua congelata, quàm in fluida, ex quorum diminutione, occupat glacies minorem locum, quàm aqua fluida, & si infundas vinum glaciæ, non permeat, secus si aquæ fluidæ, hoc autem est exinde, quia in aqua invenit poros.

RESPONDETUR. Examinando ad latas propositiones. Negari potest in poros rejici debere, quod vinum aquæ fluidæ infusum, facilius misceatur; nam rationes rerum, non debent in principia dubia rejici, si possint rejici, in principia magis manifesta; magis autem est manifesta fluiditas aquæ, quàm isti pori fluiditatis. Rursus, certum est istos poros, non esse tota superficiem aquæ sparsos, ita ut nihil sit in illa superficie, nisi pori, si enim tota superficies, non sunt nisi pori. Ergo tota aqua, non sunt nisi pori, nam non minus est fluida aqua in superficie, quàm in fundo, & tamen non potest dici, totam aquam non esse nisi poros: aliàs aqua, esset non aqua,

quia pori sunt vacuitates aquæ. Quod si isti pori, non sunt tota superficie sparsi, cur tamen tota superficies diluitur? Cæterum non nego, dari poros in aqua, sed nego in illos referri debere missionem vini, sed infusiditatem ipsam, cedentem superpositis, & facile insinuabilibus partibus vini. Quod dicit in aliis Materiis admitti, etiam in ferro poros; & in præsentem negari id immeritò dicit: non negamus enim poros, sed negamus raritatem de qua hæc, salvari debere per receptionem corpusculorum intra ipsos poros. Deinde cum ipse hoc dicendo, innuat se admittere poros, etiam in ferro, nescio quo pacto clarè enunciet densum dici vitrum, non aliam ob causam, nisi quia poros non habet, dicere potius debuisset, quia pauciores poros habet, cum per illum etiam vitrum sit porosum, ob universale dictum, quod in omnibus rebus sint pori. Quod addit corpus humanum dici rarum, propter poros quos habet, certè hæc raritas, non est ea, de qua quæritur; & sicut subtile est aliud, & aliud rarum, nam subtile non plus importat, quàm quod facile cedat alteri corpori, rarum autem non plus importat, quàm parum materiæ sub magnis dimensionibus; sic etiam aliud est rarum, de quo in præsentem, & aliud mollietates seu teneritudo carnis.

Directè ad Argumentum dici potest, concedendo interim dictos poros, & negando inde sequi, quod rarefactio perficiatur formaliter, intromissione illorum corpusculorum.

INSTAT 3. In aliis sententiis, non potest reddi ratio, cur calor rarefaciat, frigus comprimat, in suis autem principiis calor rarefacit, quia se jungit inter se partes, & exinde dat locum, ut aër, vel atomi introeant, frigus verò magis unit partes.

RESPONDETUR. Etiam in nostris principiis rationem reddi, quia scilicet se jungit partes, quæ se junctio est necessaria ad rarefactionem, sed an hoc fiat per intromissionem corpusculorum, an alio modo, id controversum est.

OBJECIT 2. Recentior Suarez auctoritatem S. Thomæ 4. Physicorum, lectione 10. ubi rationem reddens condensationis aquæ, idem, inquit sit, per exclusionem aëris intro existentis in aqua.

RESPONDETUR. Nos non negare, interdum rarefactioni intromissionem, & condensationi pulsionem corpusculorum, conjungi; sed negamus id de ratione rarefactionis rigorosè esse, quod ipse S. Thomas eodem loco attingit, ubi dicit etiam *spongiam densari, & hujusmodi corpora porosa, per exclusionem aëris intus existentis*. Et tamen hæc rarefactio & condensatio est impropria.

OBJECIT 3. Oviedo. Per hanc sententiam optime explicatur, quomodo idem corpus rarefactum, majus spatium occupet; quia rarefactione hoc modo constituta, corpus rarum non occupat

cupat plures, nec majores spatii partes, sed magis distantes inter se, quarum distantia, repletur aliis corpusculis, spatium interjacens occupantibus.

RESPONDETUR. Hanc sententiam ostendere quomodo magis distans spatium occupet, sed non ostendere secundum propositum & intentum difficultatis, negatur enim ob dictas rationes, eo modo, perfici illam occupationem.

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur Modus explicandi Rarefactionem.

PRÆMITTO 1. *Quod magis nobis nota sit extensio in ordine ad occupandum majorem locum, quæ occupatio connexa est rarefactioni, hinc de ea utpote notiori discurrendum erit, quæ explicatâ, explicabitur proportionaliter rarefactio, quæ per miraculum posset esse, sine extensione majori ad locum.*

PRÆMITTO 2. *Extensionem in ordine ad locum, esse effectum secundarium quantitatis, adeoque talem ut dictum supra, qui potest haberi ab alio principio, quam à quantitate.*

PRÆMITTO 3. *Sicut quando non in omnes dimensiones equaliter occupatur ab aliquo corpore divisiibili spatium, potest occupari incomparabiliter magis distans, quam ante ut dictum supra, sic potest occupari spatium magis distans, modo sequatur dissolutio aliqua, & divisio partium.* Quod sic explicatur. Dividamus v. g. in quatuor partes oleum rarefaciendum. Prima pars A, sursum assurgit, & secundum aliquas partes discontinuatur ab aliis, & attenuat sese, ad eum modum, quo quis globulum ceræ manu fricat, & illo calefacto, pyramidulam efficit, qua attenuatione posita, assurgit altius pars A, & majori attenuatione posita altius, & sic rursus, quia verò illa pars A, altius assurgendo, relinquit aliqua spatia, hinc ex naturali connexione rerum, quæ est ad impediendum vacuum, fit ut posita dissolutione partis A, ab aliis partibus immediatis, & posita illarum dilatatione, orta ex illa dissolutione, ad illam accurrat pars B, quæ periculum vacui ducit, & sic ulterius faciunt duæ residuæ partes olei.

PRÆMITTO 4. *Hoc potius salvari primo posse quæ fiat ut parum materiæ, manens sub eadem parvitate materiæ, occupet magis distans spatium, adeoque habeat majores dimensiones; quia scilicet dissoluta conjunctione aliquarum partium, & attenuatione, potest fieri magis distans spatii occupatio, ut fieret, dum papaver divideretur in sententia Aristotelis, & contegeret Sphæram orbis universi.* Secundo salvari potest, quæ fiat id sine bilocatione ejusdem partis, quia scilicet dum deserit una pars locum aliquem, & attenuando sese attollit, ut occupet

magis distans spatium, tunc etiam alia pars, dissoluta unione immediata, cum aliis partibus, ob periculum vacui, illuc accurrat: & prior etiam ita dispensat suas partes, ut in altum eant, ita inquam dispensat, ut attendat, an dissolutis partibus aliis, spatium quod ante occupabat repleti possit, quæ attentio, non alia in re est, nisi connexio à natura ordinata, ad implendum vacuum. *Tertio* salvari potest, quæ fiat ut antea partes, quæ nunc magis distans spatium occupant, ante istam occupationem non fuerint penetratæ, quia scilicet in rarefactione ita se habent, sicut papaver, quod in divisione versus aliquas dimensiones, plus spatii occupat, quam ante, quantumvis illæ partes, non fuerint penetratæ in ante. Rursus per nos, non ideo plus spatii à corpore rarefacto occupatur, quia singulæ partes proprium locum obtinent, cum ante rarefactionem plures in eodem loco fuerint, ex hoc enim sequeretur clarè, penetratas illas partes ante rarefactionem fuisse; sed tantum dicimus, alio modo illud spatium impleri; quæ alietas modi implendi, provenit ex calore dissolvente, unionem aliquarum partium, adeoque attenuante, quæ attenuatione posita, sequitur majoris spatii occupatio.

PRÆMITTO 5. *Aliam esse rigorosè hanc propositionem: An rarefactione occupetur majus spatium, & aliam: An occupetur magis distans.* Falsum est quod in rarefactione occupetur majus spatium, cum enim non plures partes entitativas, eisque adnexam quantitatem contineat in rarefactione, quam ante rarefactionem, fit ut rigorosè loquendo, non occupet majus spatium, occupet tamen magis distans, quia hoc ipsa experientia ostendit.

PRÆMITTO 6. *Quod omnes quidem partes spatii occupat corpus rarefactum, & plus, quod non occupabat ante rarefactionem, sed non occupat eodem modo, non tanta spissitudine, non ea continuatione, & cætera similia.* Et quia non eodem modo occupat, fit ut plus spatii occupari possit. Quod autem in omnes dimensiones, æqualiter occupet illud spatium, corpus rarefactum, non occupat autem papaver, si divisione in partes minores & minores posita, tegeter sphæram celorum, oritur id ex fluiditate v. g. olei cujus vis, facilius dispensare partes suas potest, in omnem partem, qualem fluiditatem non habet papaver, hinc in aliquam dimensionem, non nisi se extendit.

PRÆMITTO 7. *Quod sit ista attenuatio.* In re non aliud est, nisi dissolutio partium aliquarum, quæ posita sequitur ut in aliquam dimensionem, partes se porrigant. Imaginare ignem positum, applicetur illi globulus parvus ceræ, positus supra planum aliquod, non facile bibulum, si paulatim calefiat, incipiet se diffundere, adeoque rarefieri, & globulus ille paulatim attenuabitur, ipsaque illa attenuatio, & illa fluiditatis

tatis sequela salvabit illam rarefactionem. *Hinc jam*

EXPLICARI posset Rarefactio, quod fiat per solam partium attenuationem, quarum aliqua dum se versus unam dimensionem porrigunt, ita id faciunt, ut tot partes in eodem loco maneat, quot sunt necessariae ad id, quod antea replebant spatium replendum, una cum vicinis partibus itidem attenuatis & dissolutis, totam illam & prioris & novi spatii occupationem, in modum occupandi referendo, hoc est, quod non tanta spissitudine occupetur idem spatium. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT plenè, licet in aliqua materia sustineri possit, non satisfacit inquã plenè, quia evidens est, in oleo rarefacto totum illud spatium occupari, quod & ante, & simul novam aqualem, vel majus, hinc in nullas dimensiones est minor occupatio spatii, & si secundum unam dimensionem, occuparet corpus rarefactum, magis distans spatium, posset sustineri prædicta explicatio. Unde ergo provenit, ut in omnes dimensiones spatium majus occupetur? Solùm ergo illa attenuatio, salvat aliquid rarefactionis, nempe diffluentiam partium vel earum secundum aliquam dimensionem, ad distantius spatium exportationem. Hinc ut commodius idem explicetur, sit

Punctum Difficultatis 4.

Explicatur Rarefactio.

PRÆMITTO 1. *Quantitatem secundum effectum suum formalem spectatam, ita cum illo connecti, ut ille effectus sine quantitate haberi non possit.* Ratio quia effectus formalis primarius, importat, etiam ipsam formam entitatemque ejus, entitas autem formæ, non potest poni sine entitate formæ. Hoc tamen non obstante, effectus formalis secundarius suppleri potest à Deo, & poni sine quantitate, ut dictum supra.

PRÆMITTO 2. *Quod est effectus formalis secundarius alicujus formæ, pro statu connaturali, potest esse effectus formalis primarius formæ.* Sic v.g. motus progressivi effectus formalis secundarius est, facere præsens localiter. Jam autem ipsius ubi, in sententia modalium prædicta præsentia, est effectus formalis primarius. Rursus quæ in combinatione aliqua qualitatum sunt quid primum, in alia combinatione sunt quid secundarium, ordinariæque effectus formales secundarii, à pluribus etiam principiis proficisci possunt, ut videre est in calefactione. Quæ omnia resolvuntur in principium negativum non repugnat. Consequenter fieri potest, ut extensio in ordine ad locum quæ est non nisi effectus secundarius quantitatis, sit effectus formalis primarius, alicujus alius formæ.

PRÆMITTO 3. *Attendendo ad verba Aristotelis, & retinendo sine ulla distinctione definitionem ipsius, videtur esse de essentia rarefactionis, actualis extensio in ordine ad locum, priori majorem.* Jam autem Aristot. definit raritatem per mensurabilitatem, definit enim illam per majores dimensiones, quam ante, major autem dimensio, est per ordinem ad locum: nam quæ non habent extensionem in ordi-

ne ad locum, nec dimensiones habent; hinc actualis extensio in ordine ad locum, videtur esse definitivè raritas; quæ extensio, non est nisi secundarius effectus quantitatis. Quod ut ulterius explicetur.

PRÆMITTO 4. *Quod rationes superiores ab inferioribus restringantur.* Ut videre erit in omnibus Categoriis, consequenter etiam raritas, dimensionem & extensionem in ordine ad locum, quæ est illi communis cum quantitate, restringere ad se aliquomodo debet, quod restrictivum posset in præsentem poni, quia scilicet Raritas, facit corpus esse in majori loco, quam facere possit quantitatem, seu quod in idem recidit, facit parum materię esse, sub majoribus dimensionibus, quæ phrasis commodior est, ne positivum quid, qualis est Raritas, per aliquid negativum, h. e. per præstare, quod non præstat Quantitas.

PRÆMITTO 5. *Esse possibilem talem qualitatē, quæ faciat parum materia, retenta eadem entitate partium materia, occupare plus spatii quam possit facere quantitas.* Ratio. Tum quia quamvis extendat quantitas corpus quantum, faciatque ne illæ partes penetrent, non tamen extendit tantum, quantum extendi possint ab alio principio, à se condistincto, quæ enim in hoc repugnantia? Tū quia, materia seipsa non habet extensionem localem, & sublata quantitate, non nisi ad punctum loci redigeretur. Habet tamen capacitatem ut accessu quantitatis, plus quam indivisibile spatii occupet. Ergo etiam poterit habere capacitatem, ut quavis parum illius, non possit ex vi quantitatis, esse sub magnis dimensionibus, possit esse ex vi alicujus alius principii. Tū quia in omnibus formis hoc apparet, ut quod una facere non potest, possit alia, sic nigrum non disgregat visum, disgregat album. Ergo etiam quantumvis quantitas parum materiae non possit ponere sub magnis dimensionibus, poterit ponere alia forma physica h. e. raritas. Cæterum recedendo à phrasi Arist. potest dici raritas, qualitas, ejus, quod habet parum materiae, plus extensiva, quia videtur diminutio ad extensionem illam sequi. *Hinc*

DICENDUM est. *Raritatem esse qualitatem superadditam naturæ parum materiae amplius extendere.*

PROBATUR 1. Quia ex una parte talis qualitas non implicat contradictionem, ut colligitur ex præmissis. Ex altera parte, nihil deest quominus dicatur defacto poni illa qualitas, dum perficitur Rarefactio.

PROBATUR 2. Quia impossibile est poni effectum primum, sine ipsa forma. Ergo cum possibilis sit forma, seu qualitas, ejus effectus formalis, ut suppono primarius, sit esse extensivum plus, quamvis sit parum materiae, si hic effectus ponatur, hoc ipso ponetur & forma.

PROBATUR 3. Quia per dictam qualitatem commodè salvantur, quæ in præsentem difficultatem habent. *Salvatur primo.* Quomodo parum materiae, possit admittere magnas dimensiones, quia scilicet materia de se est capax, ut stante sua parvitate, majores, ut inquit Aristot. dimensiones habeat. Ex altera parte, qualitas ista, est ejus naturæ, ut capacitatem hanc materię expleat, sitque, ut retenta parvitate majores di-

† (D)

mensio.

ensiones habeat. *Salvatur secundo* quod fit ut materia, sine bilocatione, spatium occupet magis distans, quam ante, quia tota occupatio spatii, debita est materię, non ratione præcisę sui; hinc spoliata omni quantitate non nisi in puncto existeret. Quod si occupatio spatii, debita sit materię non ratione sui, quantumvis certum jam spatium occupet ratione quantitatis, potest majus occupare ratione alius principii, quod dicimus esse qualitatem rarefactivam, & sicut posito, quod materiam spoliatam quantitate, adeoque redactam in punctum, accedens quantitas extendat, & faciat occupare spatium divisibile, non sequitur bilocari materiam, ita nec bilocabitur in præsentia. *Salvatur tertio.* Qui fiat ut ante rarefactionem non fuerint partes penetratę, quia penetratio vel illis competit, quę non habent quantitatem, singule autem partes supponuntur habere suam quantitatem, vel illis, quę cum habeant quantitatem, in eodem tamen sunt loco, cum vi illius quantitatis, possint non esse in eodem loco. Quod ex dicta explicatione non sequitur, quia non dicimus ante adventum hujus qualitatis occupasse aliquas partes eundem locum, cum alium occupare potuerint, vi ejus, quam retinent quantitatis, sed tantum non occupasse majorem, quem alias, vi superadditę qualitatis, occupare possent.

Punctum Difficultatis 5.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Illa qualitas, & esset quantitas, quia non haberet quo distingueretur a quantitate, & non esset ut supponitur.

RESPONDETUR. Illam qualitatem distinctam fore a quantitate, quia non est uniusq; formalis idem primarius effectus, & qualitas illa adferet, extensionem localem talem, qualem non potest adferre quantitas.

INSTATIS. In quantitate non admittitur intensio, ergo nec in effectibus illius, sive primariis, sive secundariis, per nos autem adstruitur in extensione intensio, quia scilicet per raritatem redditur parum materię, potens plus spatii occupare, quam possit cum sola quantitate.

RESPONDETUR. In hoc qualitas raritatis comparata ad quantitatem similis est intensioni, quia sicut intensio fit receptione graduum in eadem parte subjecti, sic & illa raritas ibi recipitur, ubi est quantitas. Sed hoc in raritate non arguet intensiorem, quia quęcumq; alia accidentia recipiuntur, ubi recipitur quantitas, & tamen non dicitur hoc ipso jam fieri intensio. In hoc autem qualitas raritatis deficiet ab intensione, quia intensio ad idem ponendum, licet profectiori modo tendit. Jam autem non ad idem ponendum tendit qualitas & quantitas raritatis, nam quantitas tendit ad ponendam materiam proportionatam quantitati, in loco æquali suę quantitati. Jam autem qualitas raritatis, tendit ad ponendum parum materię, sub majoribus dimensionibus, & sicut non intenditur albus, per positionem lucidi, quia longè diversę rationis est qualitas lucis, & alba-

dinis; Sic nec intendetur quantitas per raritatem, imò magis inter se opponuntur raritas & quantitas, quam albedo & lux, quia positio unius, non involvit aliquid oppositum alteri; jam autem positio raritatis, involvit aliquid oppositum quantitati, quia majus, æquali est oppositum. Jam autem quantitas exigit æqualem dimensionem materię, raritas autem majorem adferre debet, cum debeat ponere parum materię sub magnis dimensionibus. Unde in eo casu, quo parum materię ponatur sub magnis dimensionibus, non supplebitur entitas materię, sed eadem manens, accessu dictę qualitatis aliter se habebit, in ordine ad occupandum locum, si illi accedat novum principium, h. e. qualitas rarefactiva, & sicut accessus qualitatis ponens materiam in spatio divisibili, non supplet defectum materię, ita nec supplebit illa qualitas.

OBJICITUR 2. auctoritas Aristot. Qui quarti Physicorum textu 84. docet raritatem fieri nulla re de novo accedente. Et capite de qualitate, negat raritatem esse qualitatem.

RESPONDETUR. Docet Aristot. raritatem fieri nullare, h. e. substantiã, quę Res est sine addito, adveniente. Non negat autem fieri illam aliquo, quod est rei, h. e. accidente, adveniente. Secundo loco autem considerat raritatem, secundum quod dicit solam situationem corporis rarefacti, quę non est qualitas, non consideratur autem secundum principium, vi cuius parum materię ponitur sub magnis dimensionibus. Unde etiã 7. Physic. textu 11. & 15. numerat raritatem inter qualitates.

OBJICITUR 3. a recentiori Suar. Ex vi conclusionis sequitur, etiam Angelum rarefieri & condensari posse, per qualitatem productivam ejus ubiatis, vicarius in majori vel minori spatio potatur.

RESPONDETUR. Negando sequelam, quia definitivè raritas est parum materię, sub magnis dimensionibus. Materia autem non competit Angelo.

OBJICIT 4. Oviedo. Quando corpus densum rarefit, spatium quod occupabant omnes partes corporis, dum erat densum, occupatur modo v. g. medietate earundem partium, sed antea correspondebant omnes partes corporis, partibus spatii, ita ut adæquate commensurarentur partes corporis, cum partibus spatii. Ergo modo cum eadē partes corporis paucioribus spatii partibus correspondeant, non poterunt adæquate commensurari, ita ut cuilibet parti corporis, ab aliis distinctę, distincta pars spatii, reliquis spatii partibus, correspondeat.

RESPONDETUR. Cum commensuratio spatii, proveniat in materia, ut dixi ab aliquo principio superaddito, dico quod ante rarefactionem erat adæquatio inter partes loci, & partes localis ex vi quantitatis. Quando autem non est adæquatio, sed pars loci potest occupare totum locum, fit id ex vi alius principii, nempe qualitatis, quę est rarefactio. Nec inde sequitur ulla bilocatio, sicut non sequitur, dum materiam in punctum redactam extendit adveniens quantitas, per spatium divisibile.

INSTAT 1. Pauciores partes aliquotę spatii correspondent partibus aliquotis corporis jam denis,

jam densi, quàm antea respondebant eisdem numero partibus corporis rari. Ergo vel antea dabatur illorum bilocatio, vel modò datur eorum penetratio.

RESPONSUM supra in argumento 3. pro conclusionem ad hanc objectionem.

INSTAT 2. idem. Non possunt esse partes majores, quin sint plures, ergo si correspondeant corpori raro majores partes spatii, quàm corpori denso, correspondebunt etiam plures partes. Antecedens probatur, quo pars est major, est magis divisibilis, quo magis divisibilis, continet in se plura membra dividenda, sed hæc membra dividenda sunt partes. Ergo quo partes sunt majores, sunt plures, sicut plures partes absolute, & non solum majores, continet totum, quod componitur tribus ulnis, quàm totum, quod componitur tribus palmis.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum. Quod ostendit materiam redactam in punctum, cum postea per quantitatem partes majores acquirit, acquirere plures, & tamen supponitur eadem manere materia. Directè autem dici potest non possunt esse partes entitative majores, quin sint plures entitative; possunt tamen esse majores quoad dimensionem, & non plures quoad entitatem. Unde posita divisione corporis rari, non plures reperientur partes entitative, sed eadem reperientur, majoris spatii occupativæ.

OBJICITUR 5. Partes quantitatis ante condensationem non erant penetratæ, sed una extra aliam in loco sibi adæquato. Sed quantumvis novum modum in condensatione acquirant, non potest poni quælibet in loco minori, quia non potest esse nisi in loco adæquato sibi, nec possunt duæ poni in eodem loco, quin penetrarentur.

RESPONDETUR. In condensatione poni corpus in loco adæquato sibi, adæquatione exigita à quantitate, consequenter sine penetratione; non tamen in condensatione ponitur corpus in loco adæquato sibi, ex vi alius principii, hoc est, qualitatis rarefactivæ, adeoque sine bilocatione, quam evitat qualitas rarefactiva.

OBJICIT 6. Arriaga. Per nostram sententiam non potest salvari quomodo fieri possit, ut unum corpus dum rarefit, aliud non densetur.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum contra corpuscula per quæ salvatur raritas, apud illum; contingit autem id sine condensatione, quia unum corpus cedit alteri loco, & quia retinet eandem quam in ante extensionem, non densatur de novo.

OBJICIT 7. idem. In principiis nostris salvari non posse, cur repugnet vacuum; nec item explicari, cur scilicet ferrum, lapides & cætera similia corpora dura, etiam si ferè ardeant, non tamen rarefiant.

RESPONDETUR. Primæ difficultati iisdem terminis satisfieri, quibus satisfacit Arriaga, quia scilicet quælibet pars materiæ, quantitate affe-

ctæ, debet habere suum locum adæquatum, & non potest minorem occupare. Si autem materia non occupat minorem locum, non datur periculum vacui. Secundæ difficultati satisfieri, quia pro dispositione introducendæ qualitatis rarefactivæ, requiritur mollicies corporis, quæ quia non habetur in ferro, non rarefit.

DIFFICULTAS III.

De Opposita Rarefactioni Densitate.

DIFFICULTAS in hoc est: An scilicet Condensatio sit qualitas realiter superaddita, sicut & raritas, an non? Videtur enim ex una parte non esse quid superadditum, sed nihil aliud esse quàm ipsum corpus extensum in ordine ad locum, extensione proportionata principio, quod est quantitas. Quod si interdum occupat minorem locum, quàm occupant etiam sine raritate, id rejici debet in extramissionem, vel intercepti aeris vel partium subtiliorum. Ex altera parte videtur debere poni aliquid superadditum, eo quod contrariorum eadem debeat esse ratio, & si non salvatur raritas per interceptionem corpusculorum, nec salvabitur densitas per eorundem extramissionem. *Circa hanc difficultatem*

ASSERO 1. *Hæc difficultate premi etiam alias sententias.*

RATIO. Quia quamvis ponatur non fuisse corpus rarefactum, consequenter nec intramissa corpuscula rarefactiva, nihilominus experimur, rem interdum minorem locum occupare quàm ante, adeoque esse sub minoribus dimensionibus, unde illa minoritas, non ex corpusculis rarefactivis extramissis, quia supponitur corpus non fuisse rarefactum in ante, non ex diminuta sola quantitate, & non diminuta materia, quia nullum agens naturale est separativum quantitatis: unde ergo illa imparitas dimensionum? Neque valet si dicas. Non dari corpus, quod non sit rarum, adeoque quod non habeat corpuscula extramittenda, si enim per corpus rarum intelligatur porosum, de hoc in præsentem non agitur, sed si agitur de corpore raro, sicut hic sumitur, ne quidem oppositi id dicent.

ASSERO 2. *Accipiendo condensationem non nisi pro reductione corporis ad dimensiones proportionatas, & quantitati quam habet æquales, ita ut corpus intelligatur non nisi eum locum occupare, qui illi debetur, cum est in naturali sua consistentia, talis condensatio consistit, non nisi in aliquo negativo, nempe in carentia qualitatis, quæ corpus sub majoribus dimensionibus ponat, h. e. in carentia raritatis, ita ut illa densitas, non sit aliud in Recto, nisi ipsa materia quantificata, & occupans locum suæ quantitati proportionatum, & prout dicitur negationem principii sub majoribus dimensionibus eandem materiam ponentis.*

RATIO Asserti, quia nulla necessitas est positivæ entitatis superaddendæ.

ASSERO 3. *Accipiendo condensationem quæ corpus minus spatii occupet, quàm illi debetur in statu*

connaturali, sua consistentia, ea condensatio debet referri in expulsionem partium subtiliorum, compactiorem pororum qualitatis rarefactivæ carentiæ, &c. similia. Quando autem est singulariter notabilis, magnæ materiæ ad parvas dimensiones contractio, & quæ in causas adlatis sufficienter referri non posset, probabiliter dici posset, dari qualitatem ita condensativam.

RATIO. Quia talis qualitas non videtur repugnare. Est hæc secunda pars asserti ut vides hypothetica.

DICES 1. Illa qualitas nullo modo est necessaria.

RESPONDETUR. Hoc argumento non probari ejusdem impossibilitatem. Supposita autem qualitatis ejus possibilitate, necessitas ejus ponendæ deducitur, ex adlatis sub hypothesi.

DICES 2. Illa qualitas vel faceret, ut non occupet tantum locum corpus, quantum exigit quantitas, vel non faceret. Non primum, quia faceret penetrare sese partes. Non secundum, quia hoc non esset necessarium.

RESPONDETUR. Cum penetratio corporum sit impossibilis naturaliter, non faceret illa quantitas penetrari inter se partes, faceret tamen sine penetratione minus spatium occupantes, cum non adesset aliud principium occupationis majoris spatii.

DICES 3. Vi hujus doctrinæ admitti intentionem majorem vel minorem densitatis.

RESPONDETUR. Sicut potest esse magis vel minus aliquid rarum, ita potest esse magis vel minus densum.

DISPUTATIO II.

De Alteratione, Intensione, Remissione.

Generationi substantiali succedit, Generatio Accidentalit, quæ Alteratio dicitur. Et quia Alteratio appropriatius qualitatibus convenit, pensanda primo est qualitatis natura quæ quidem si exacta habeatur, per definitionem haberi debet, licet eam non sit obvium reperire. *Hinc*

PRÆMITTO. Quid sit Qualitas. Plures definitiones ponunt Suarez uterque, Arriaga & Oviedo, easque refutant, quos consule. Recentiorum explicationes pensanda.

EXPLICAT 1. Arriaga. Quod qualitas sit accidens absolutum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia probabilius est contra Arriaga, quantitatem esse distinctam realiter à substantia, quo casu, illa erit Accidens, absolutum, & tamen non erit qualitas. Ergo qualitas non est accidens absolutum, saltemque non repugnat quantitas distincta realiter, quæ certe erit accidens absolutum, & tamen non erit qualitas. Tum quia per merum genus, non rectè definitur species. Ly autem Accidens absolutum est genus, quia ens absolutum, rectè dividitur in substantiam absolutam, & accidens absolutum. Sub quo tum primum ponitur qualitas, quam esse non nisi unicam speciem hujus generis, non probatur. Tum quia ut arguit Oviedo, vel nomine accidentis absoluti, intelligitur accidens non dicens relationem ad aliud, & sic definitio non competit actibus vitalibus, qui dicunt ordinem ad principium, à quo producantur. Si autem nomine accidentis absoluti intelligat, accidens reale, prout enti modali opponitur, & sic non congruet principiis Arriaga, qui dicit præsentiam esse entitatem realem, & tamen præsentia non est qualitas. Casu quo quis concederet, ubi illud, esse qualitatem, non urgeret argumentum.

EXPLICAT 2. Oviedo controversia 8. Meta-

physica, punct. 1. Qualitatem dicitque illam esse accidens, quod secundum rationem superiorem prædicamenti, tantum sequitur actualitatem perfectam. In idem recidit Recentior Suarez. Quod sit accidens intrinsecum, quod tantum sequitur actum substantialem. Nomine autem actus intelligunt vel formam in composito, vel esse substantiale actuale, si non sit compositum, quale est esse Angelicum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia est obscura, non satis enim, liquet, quid velit sibi illud Ly secundum rationem superiorem prædicamenti, continet etiam hæc definitio terminos superfluos contra leges bonæ definitionis, quia ratio superior prædicamenti qualitatis, est Accidens, ad quid ergo idem bis ponitur, nempe Ly accidens & Ly secundum rationem superiorem. Tum quia dispositiones, quæ tales, sunt qualitas, de iisquæ tanquam de Specie Generis, Qualitas prædicari potest: & tamen dispositiones quæ tales naturæ sunt, non sequi, sed antecedere actualitatem perfectam. Quod ipsum ulterius proponitur. Non implicat qualitas antecedens actualitatem perfectam. Ergo de ratione qualitatis non est sequi actualitatem perfectam, possibilisquæ est materia, quæ quæ talis exigit aliquam certam qualitatem perfectam, ad eum modum, quo præsens materia exigit Quantitatem, licet præsens materiæ, non competat determinatam qualitatem exigere. Tum quia in istis quæ sunt composita, rationem actualitatis perfectæ per eosdem, habet non nisi ipsa forma, qualitatemquæ uterque docet sequi formam, possibilis est autem qualitas, quæ neque solam formam, nequæ solam materiam, sed compositum sequatur. In explicatione etiam Suarii desideratur insuper, quid sit qualitatem esse accidens intrinsecum, omne enim accidens, hoc sensu est intrinsecum, quia natum est inhæ-
rere substantiæ.

EXPLI-